SCHOLIA PAVLI MANVTII, QVIBVS CICERONIS PHILOSOPHIA PARTIM CORRIGITVR, PARTIM EXPLANATVR.

*

Eiuſdem Scholia in Epiſtolas familiares, & in Epiſtolas ad Atticum, ad Brutum, & ad Quintum fratrem: quibus & loci difficiliores explicantur: & caſtigationum, quæ in iiſdem Epiſtolis penè innumerabiles factæ ſunt, ratio redditur.

VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

BIBLIOTEC. NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

APVD SEB. GRYPHIVM
LVGDVNI,
1552.

SCHOLIA PAVLI MANVTII IN PRIMAM CICERONIS PHILOSOPHIAE PARTEM.

Pagina 7.

ABSENS *factus Aedilis, continuo Prætor (licebat enim celerius legis præmio)*] *Aedilitatem Prætura biennio poſt conſequebatur. Lucullus autem, cum Aedilis fuiſſet, continuo Prætor factus eſt, beneficio legis, ut opinor, à Sylla Dictatore latæ, ut ijs, qui Syllanas partes in ciuili bello ſecuti eſſent, honores ante tempus capere liceret. apparet enim eam legem non manere, cum dicat, licebat.*

10.

CONTRA *omnes dicere, qui ſcire ſibi uidentur, ſolemus*] *Propriũ hoc erat Academicorũ: qui percipi nihil poſſe dicebant, preter unũ illud, nihil poſſe percipi. in hac autem hæreſi Cicero cũ eſſet, nõ erat, cur alios à ſe diſſentire moleſtè ferret: id enim ab ijs ſolet fieri, qui ſcire ſibi uidẽtur: cõtra quos Academici ſolent dicere. Sunt qui legant, contra omnes dicere quæ uidẽtur: quos ſecuti non ſumus: non enim contra omnes dicere, quæ uidebãtur, ſoli Academici ſolebãt, nam id commune omnium erat: ſed contra omnes, qui ſcire ſibi uidebantur, quod proprium erat Academicorum.*

11.

IVDICAVERVNT: *aut*] *Locus meo iudicio deprauatus. liber ſcriptus, Iud carunt aut. ego uellẽ, Iudicare: ita.*

13.

SAPIENTISSIMOS, *&* *clariſſimos fratres, P. Craſſum, & P. Scæuolam*] *Dictio fratres, olet mendum:*

nam Craſſum,& Scæuolam fratres non fuiſſe conſtat.

15.

NEC VERO *eſſe ullam rationem*] Nec uerum eſſe, *habent, præter noſtrum, impreſſi omnes libri. ego ex uetuſto codice* Bernardini Maffei, *iuuenis admodum eruditi, & ex ſententia emendaui,* Nec uerò. *nam, uerum, ſi legas, duæ illæ uoces, ullam rationem, neq; cum ſequenti uerbo, diſputare, neq; cum præcedenti, eſſe, cohærebunt.*

19.

CVR HAS *igitur ſibi tam graues leges impoſuerint*] Non uideo, *cur uocem, igitur, quidam inculcarint. quam neq; habent libri manuſcripti, quos quidem ego uiderim, & abundare ſenſus oſtendit.*

20.

ANTIPATRO *hoc idem poſtulanti, cum diceret, ei, qui affirmaret nihil poſſe percipi, conſentaneum eſſe unum tamen illud dicere percipi poſſe, ut alia non poſſent, Carneades acutius reſiſtebat*] Quid *ſibi uelint hæc uerba, nemo non uidet: quorũ antea ſententia uideri poterat obſcurior, cum pro, ei qui affirmaret, legeretur, eiq; affirmaret: quo ex loco unius literæ mutatione mendum ſuſtulimus: idq; ex coniectura: ex libro autẽ manuſcripto, duas uoces, conſentaneum eſſe ſine cauſa repetitas, & ſenſum implicanteis, deleuimus. ſed noſtram coniecturam planè confirmat ille locus, qui eſt pagina* 27. Antipatrum, *inquit, reprehenſum, quòd diceret conſentaneum eſſe ei, qui affirmaret nihil poſſe comprehendi, id ipſum ſaltem dicere poſſe comprehendi.*

21.

ALIQVA *ſic recondit: è quibus memoria oritur* Nonnihil *deſideratur, ac fortaſſe tale quidpiam,* Vt poſte *ut ita legatur: alia uiſa ſic arripit, ut his ſtatim natura, ad*

ſic recondit, ut poſtea: è quibus memoria oritur. & dictio poſtea refertur ad uerbum, utatur. niſi ſi quis ita malit legere, alia ſibi recondit, è quibus memoria oritur: ſibi, id eſt ad uſum ſuum.

27.

NISA *& progreſſa ratio*] Cum legeretur, *uiſa, & progreſſa*: coniectura ducti, *niſa*, correximus, ut ſimilis, & apta translatio ſit: quomodo etiam locutus eſt pagina 185. *præſto* (inquit) *eſt ratio, quæ connixa per ſe, & progreſſa longius fit perfecta uirtus.*

27.

PRIORI *posterius, poſteriori ſuperius non iungitur*] Coniungitur quidam legunt; non rectè, ut opinor, & contra Ciceronis ſententiam. dixit enim, Non iungitur, pro non reſpondet, non cohæret, non conuenit. in quo, inquit, maximè conuincuntur, quòd duo pro congruentibus ſumunt uehementer repugnantia. omnino & in libro manuſcripto Bernardini Maffei legitur, coniungitur; ſed, ut ſenſus oſtendit, corruptè.

32.

ET *eo quidem innumerabiles*] Sunt qui legant, eos. ego hoc totum ſuſpicor abundare. iacet enim, & otioſum eſt, neque ad ſententiam quicquam affert, quo perfectior eſſe uideatur.

37.

CARNEADES *nonnunquam ſecundum. Et illud dabat, aſſentiri aliquando: ita ſequebatur etiam opinari*] Cum antea in omnibus libris legeretur, id *aſſequebatur*: emendaui coniectura ductus, *ita ſequebatur*, eo confidètius, quòd it pro id ueteres ſcribebant. Aſſentior autem ijs, qui, ſublata copula &, legunt, Carneades nonnunquam ſecundum illud

dabat, aſſentiri aliquando: ita ſequebatur etiam opinari. quanquam duo illa uerba, aſſentiri, opinari, loco mouerem, ut alterum in alterius ſedem migraret, & ita legeretur: Carneades nonnunquam ſecundum illud dabat, opinari aliquando: ita ſequebatur, etiā aſſentiri. De duobus enim, quod propoſuit, ſecundum illud erat: Nunquam autem opinabitur: de quo Carneades ita ſentiebat, ut interdum diceret, ſapientem opinari: ita ſequebatur, & aſſentiri: ut appareret, Carneadem aliquem tamē aſſenſum dare ſapienti, quem Arceſilas penitus tollebat, cum uterq; eſſet Academicus.

41.

SIGNATVM, *& effectum*] *Videtur legendum effictum, ut perſtet in metaphora, & cum duobus uerbis imprimere & ſignare conſentiat: quo modo item locutus eſt pagina* VI. *Viſum, inquit, impreſſum, effictūq; ex eo unde eſſet.*

58.

LINIAMENTVM *ſine ulla latitudine carentem*] *Apparet, ſubeſſe mendum. Maffei liber, lineamentum, cætera ut in impreſſis. mihi ſic placeret, Lineam autem ſine ulla latitudine currentem. punctum enim & linea, mathematicorum initia ſunt.*

58.

ADIICIAM *iuſiurandum*] *Adigere iuſiurandum, potius dicitur, quàm adijcere: ut apud Cæſarem libro* VII. *Omnibus ad iuſiurandum adactis. ſine præpoſitione autem ea ratione dicebatur, quo modo adigere arbitrum, pro adigere ad arbitrum. qua figura Cicero uſus eſt libro* III. *de offi. & in oratione pro Q. Roſcio.*

59.

CONSENSISSE *primos*] *Fortè, conceßiſſe primas. nam Laërtius autor eſt, cum Delphicus Apollo Mileſijs reſpondiſſ*

ſpondiſſet, eum tripodem, quem piſcatores iactu retis inueniſſent, eius eſſe debere, qui cæteros ſapientia excelleret, Thaleti eſſe datum. ex quo apparet, ſex reliquos ei primas conceßiſſe.

63.

VOS *uerò huius magnitudinem &c.*] *Confuſus locus, & corruptus: qui, ordine uerborū mutato, & leui correctione adhibita, reſtitui fortaſſe poſſet: quo ordine, & correctione locus recitetur: ut ſtudioſi ſaltē hanc mihi gratiam habeant, quòd, quicquid ſenſerim, liberè dixerim. legerem igitur ſic. Vos uerò huius magnitudinē quaſi decempeda permenſi refertis. Hic ego me, quaſi malis architectis, menſuræ ueſtræ nego credere. ergo dubiū eſt, uter noſtrum ſit, leuiter ut dicam, uerecundior? Hanc coniecturā etſi ualde probē, tamen meū illud teneo, ut ſine manuſcriptis libris nihil affirmem.*

66.

HIC *igitur neutri aſſentiens, ſi nunquam uter eſt prudentior?*] *Senſum non uideo, neq; uidet quiſquam, ut opinor, tam obſcuro in loco. obſcuritatis autem cauſa deprauatio eſt, quam iudicio meo tollet qui ita leget. Hic igitur neutri aſſentietis: ſin utriq;, uter eſt prudentior? quorum uerborum non abſurda ſententia eſt: dicit enim hoc. In hac controuerſia neutri aſſentietis, id eſt neq; Stoicum, neq; Academicum dicetis eſſe ſapientem. ſin utrunq;, uter eſt prudentior? Aſſentietis, autem refero ad illud ſupra poſitum, Ad uos nunc refero. Vtriq;, uidetur eſſe neceſſarium propter inſequens uerbum, Vter. Sed hæc, qui & acumine, & iudicio plus ualent, dijudicabunt.*

69.

LABOR, *ut aſſentiar* Epicuro] Vulgati libri, *laboro, omnes habebant. quod uerbum ut deprauatum eſſe crede-*

rem, fecit id, quod ſequitur: reuocat uirtus, uel potius reprehendit manu. nam ſine dubio, reuocat, & reprehendit manu, quidpiam requirunt, quod ſibi in translatione reſpondeat: quale uidetur eſſe uerbum labor: quod ego, & metaphoram, & ſenſum ſecutus, repoſui pro laboro.

73.

PER ἐποχὴν *illam omnium rerum comprobans*] Fortè *emendandum*, Quare ἐποχὴν *illam.*

75.

ET SI *quid forte* Roma *noui*] Mallem *ſic*: Ecquid *forte* Roma *noui.*

76.

ADHIBENDA *enim geometria eſt*] *Libentius legerem*, Adhibenda *etiam geometria eſt*: (*nam ſæpe ſcripti libri, etiam, habent, ubi impreßi enim*) & *ea quæ ſequuntur, parentheſi incluſa, per interrogationem pronuntiarem.* Adhibenda etiam *geometria eſt: adiungenda (inquit) eſt geometria ad diſputationem, & tractationem philoſophiæ: id eſt inſtructi etiam geometria debent eſſe, quibus de philoſophia ſcribere conſilium eſt. Quæ ſequuntur, excuſant nouitatem nominis, quòd geometriam dixerit, &* Græca *uoce ſit uſus in oratione* Latina.

77.

L. AELII *noſtri*] *Librarij cum in deſcribendo non perciperent quid ſibi antiquæ notæ uellent, eas uel immutabant, uel cum ſequenti uoce coniungebant: ut hoc loco,* Lælij *noſtri, ſcripſerant, cũ,* L. Aelij *noſtri, uera & incorrupta ſit lectio: quod & ueterum exemplariorũ autoritate, & hiſtoriæ fide cõprobatur. eſt enim hic* L. Aelius, *qui orationes ſcripſit, quas alij dicerent, à quo* M. Varro *rerum antiquarum ſcientiam cum accepiſſet, eam ipſe auxit, et illuſtriorib*

ſtrioribus literis explicauit. Cicero *de claris oratoribus.*

98.

QVAM *fieri ſine cauſa quicquam dicere*] *Hæc uidentur abundare,ut otioſa,& ſine cauſa inculcata. id enim turpe phyſico eſt, dicere atomum declinare ſine cauſa. hoc per ſe rectè habet,& concinnum eſt. præterea ſiquid addatur ,frigebit.*

100.

NISI *te quoque,ut id modo loqueretur*] Maffei *liber, quoq; modo,haud prorſus emendatè,ſed ut uitij tamen nihil penè ſuperſit.nam una litera immutata locus reſtituitur. nempe ſi ſic legas:*Niſi *te,quoquo modo loqueretur,&c.dicit autem,quoquo modo loqueretur,ut penè etiam oſtendat, ne in uerbis quidem Ciceroni* Epicurum *ſatisfeciſſe, non modo in ſententijs.*

100.

ETENIM *quaſi detractis de homine ſenſibus*] *Superuacanea ſunt hæc uerba,neq; locum hic habere poſſunt. nam ex argumentis ſunt,quibus probare conabatur* Epicurus, *uoluptatem eſſe ſummum bonũ.dicit enim pag.55.* Etenim, *quoniam detractis de homine ſenſibus reliqui nihil eſt, neceſſe eſt, quid aut ſecundum naturam,aut contra ſit,à natura ipſa iudicari.*Maffei *liber,*Et *detractis de homine ſenſibus:aliud antiquũ exemplar,*Etenim *quoniã detractis de homine ſenſibus.ut & ipſa uarietas mẽdi ſuſpicionem afferat.*

105.

CVM *omni dolore caret*] Rectius Maffei *liber, cum omni dolore careret.rectius etiam fortaſſe ſic,*Omni *dolore carere.*

128.

QVIBVS *uinum diffuſum è pleno ſit œnophoro, cui*

nihil dempſerit ius, & ſarculos abſtulerit] Antiquus Maffei liber habet, cui nihil dempſerit uis, & ſacculos abſtulerit. emendo, cui nihil dempſerit nix, & ſacculus abſtulerit. apud ueteres qui lautius uiuebant, uino delectabantur quod ſacco niuario tranſmiſſum eſſet, non ſolum ut frigidius biberent, ſed etiam ut liquidius. itaq; dixit Martialis libro XII. Vt liquidum potet alauda merum, Turbida ſollicito tranſmittere cecuba ſacco. Et in diſtichis, Setinos moneo noſtra niue frange trientes: id eſt, ſetini uini uim frange niue, ut frigidius bibas. ſeruabatur enim nix in hunc uſum: de quo Plinius lib. XIX. cap. IIII. Hi niues, inquit, illi glaciem potant. deinde infert, excogitatur ut alienis menſibus nix algeat, qua ſcilicet uina refrigerentur. hic igitur Cicero eos aſotos bene putat uiuere, non qui luxu diffluant, qui in uoluptate omnia ponant, ſed eos, qui uictu utantur modico & exquiſito, qui uino contenti ſint eo, quod ex ipſo effuſum ſit œnophoro, quod, ut ita dicam, naturale ſit, non artificioſum: quale eſt illud, quod per niuem ſacco exprimitur: & dixit, cui nihil dempſerit nix, & ſacculus abſtulerit, propterea quòd uino nimiam uim nix, craſſitudinem autem ſaccus auferebat. eſt autem totum hoc de Lucilio ſumptum.

129.

DICET *Lucilius, cocto, condito, ſed cedò caput cœnæ, ſermone bono. quid, ex eo ſi quæris l benter?*] Libro XIII. epiſtolarum ad Atticum, in fine ita ſcriptum eſt. edit, & bibit ἀδεῶς, & iucunde: opipare ſane, & apparate: nec id ſolum, ſed bene, cocto, condito, ſermone bono, &, ſi quæris, libenter: ut, quemadmodum quidem ego exiſtimo, Lucilij uerſum recitet: quem etiam hunc in locum tranſtulit, ſed ut ipſe quædam interijciat. ego autem cum in illa ad Atticum epiſtola ſcriptum legerem, cocto, condito, non, horto condito: item

hic

hic putaui eſſe legendum,cocto, condito, cum ante legeretur,horto condito:neque ſum arbitratus fore,qui noſtram conieſturam reprehenderet,cum ea ratione tam firma niteretur.puto autem Lucilij *uerſus huiuſmodi fuiſſe:* Quid *bene?cocto,* Condito *,ſermone bono,& ſi quæris ,libenter.ut illud,* Quid *bene?cocto,* Pedes *ſint præcedentis uerſus.* Quod *autem legitur,*Quid*,ex eo ſi quæris,libenter?puto ita eſſe interpungendum:*Quid *ex eo? ſi quæris , libenter.* Nam *qui cœnant cocto,condito,ſermone bono,ſequitur , ut libenter quoq; cœnent.cum autem interrogaret ,* Quid *ex eo?(ſubaudi ſequitur:)reſpondet* Lucilij *uerbis , ſi quæris, libenter.Illa uerò ,* Dicet Lucilius *, ſed cedò caput cœnæ,* Quid *ex eo,à* Cicerone *interiecta,effecerunt,ut* Lucilij *uerſum nemo hactenus agnouerit . quem ſi quis metiri uelit, pronuntiabit in penultimo pede,*Quæri li *. abiecta s conſonante:ut etiam in ultimo* Catulli *epigrammate,* Affixus *nobis tu dabis ſupplicium.*

140.

SCIPIONI]*Corrigo,Cæpioni,ex hiſtoria. Cn. Seruilius Cæpio Conſul fuit cum* Q.Pompeio *Nepote. quibus conſulibus decretum eſt,ut in* Tubulum *quæreretur.* Ad *Atticum libro* XII. 187.

140.

CENSVIT *plus filiæ dandum*] Alij, *plus* Fadiæ: *quæ lectio ſi retineatur,ſupra legendum erit,* Fadio Gallo, *non* Fabio *, cum* Gallus *cognomen* Fadiorum *ſit.*

144.

TESTATA *ciues*]*Maffei liber,Teſtata crimē.probo.*

145.

APP. *Claudij*]*Rectè.malè antea,*P.*Claudij:nam* Liuius *libro* III. *Appium nominat,& Maffei liber confirmat.*

NON

146.

NON *metuet autem,ſiue celare poterit,ſiue,&c.*] *Sequor ſententiam,& emendo:*Non *metuet autem,ſiue celare poterit,ſiue opibus magnis,quicquid fecerit,obtinere: certeq; malet exiſtimari bonus uir,ut non ſit,quàm eſſe,ut non putetur.* Hanc *correctionem ego in antiquo libro non uidi,ſed* Ioannes *Scala,homo grauis & certus,ſe uidiſſe teſtatur.eſt autem hic,obtinere,pro tueri & defendere, ut in oratione pro* Quintio,Non *ad mendaciũ obtinendũ, ſed ad uerũ probandũ autoritas adiuuat. omnino &* Maffei *uetuſtum exẽplar habet,ſiue opibus magnis,nõ,ſiue opibus maius.*

147.

NVLLVM] Vllam,*ſententia poſtulat,ut legatur.*

148.

REM *uides*]Pro *uides, ſi uidelicet legatur, concinnius erit:neq; tamen magna mutatio fiet: nam in antiquis libris pro uidelicet ſcriptum quandoq; animaduerti, uidel. quandoq; etiam uid.*

149.

ET *quidem prodeſt*] Antiqui *libri alij habent,*Quid *prodeſt:alij,*Et *quid prodeſt:emendo,*Ecquid *prodeſt? ut periodus interrogationis nota terminetur.*

149.

VTILITATIS *cauſa expetenda*]Tolle *hoc: intelliges eſſe concinnius.*

151.

SI *tua ſint* Puteolis *gramina?*] *Senſus poſtulare uidetur,ut pro, gramina,legatur prædia.ſiquidem hoc dicit: ſi utilitatis cauſa quæritur amicitia, utilitas tibi maior erit, ſi tua prædia* Puteolis *habeas,quàm ſi amicus* Triarius *tibi ſit. erat autem* Puteolanus *ager omniũ fructuoſiſſimus:itaq; eam*

regio

regionem ob fertilitatē maximè celebrauit antiquitas. Fun*dos igitur, inquit, amicis anteponemus,* Eandemq; *ſententiā iterans, paulò pòſt intulit:* Vides, *ſi amicitiam ſua charitate metiare, nihil eſſe præſtantius, ſin emolumento, ſummas familiaritates prædiorum pretioſorum mercede ſuperari.*

162.

ATHO'VE *perfiſſo*] Quid *ſi*, Athone *perfoſſo? quomodo eum locutum eſſe etiam in tertio de* Republica, *autor eſt* Priſcianus *libro* VI.

162.

VITAE *quidem infinita*] Corruptus *locus: quem ita puto eſſe emendandum,* Et ea *quidem infinita: nam & libro primo* Tuſc. quæſt. 160. *de animo loquens,* Habet, *inquit, memoriam, & eam infinitam, rerum innumerabilium.*

171.

NOVARVM *non uidebantur*] Alij, Nouarum *nouabantur, ſenſu mihi non admodum probato: non enim reſpondet ad illud quod dixit,* Difficilius *& obſcurius. potius legendum crederem,* Nouarum *noua uidebantur: ut,* Noua, *accipiatur, quaſi duriora, & nimis obſcura: quod accidere ſolet, cum nominibus utimur inauditis.*

173.

QVOD *poſitum ſit in eo*] Antiqui *libri,* Quod *compoſitum ſit in eo, abſurdè prorſus, niſi facias quod ſæpe faciendum eſt, ut antiquos libros coniectura adiuues.* Sic *igitur putarem elegantius, & rectius,* Quod *cum poſitum ſit in eo, quod* ὁμολογίαν *Stoici, nos appellemus conuenientiam, ſi placet, cum igitur in eo ſit id bonum, quò referenda ſunt omnia: honeſte facta, &c.* Atque *etiam in membro præcedenti melius, opinor, ſtatueret in ea, quàm ſtatueret in eo: ut ad concordiam, referratur.*

174.

VT *enim ſi cui,&c.*] Apparet, *quid ſignificet: ſed ita non ſolum corrupta, uerum etiam, ut ego ſentio, confuſa, & præpoſtere collocata ſunt uerba, ut emendari locus & diſtingui à nobis ſine arrogantiæ nota non poßit.* Vtrum *autem, collimare, an, collineare, legendum ſit, non dijudico: mihi quidem magis placet, collineare, quòd aptiorē & probabiliorem habeat etymologiam: nam collineare dicitur is, qui eum locum ferit, ad quem locū oculi directo quaſi linea ducta feruntur: ut collineare ſit, ſimul cum oculis locum ueluti per lineam ferire.*

180.

QVID *autem dici poterat, ſi turpitudinem non ipſam per ſe fugiendam eſſe ſtatuerimus*] Emendo *ex antiquo libro* Bernardini Maffei, Quid *autem dici poterit.* Alij *pro ſtatuerimus legunt ſtatueremus, reſpicientes ſcilicet ad uerbum poterat, ut tempora conuenirent: cum in ſenſu uis, & energia maior ſit, ſi, poterit, & ſtatuerimus, legatur, quàm ſi, poterat & ſtatueremus.*

183.

RERVM *in corpore ſitarum*] Locutio *probabilior, quàm ſi legas, ut antea,* Rerum *in corpore harum: quam correctionem* Maffei *liber antiquus probat.*

186.

NEC *hæc poſita, non aliqua eſſent præpoſita*] Si *corrigas,* Nec, *hoc poſito, non aliqua eſſe præpoſita,* Erit *elegantius: neque ab antiquis exemplaribus admodum diſcedes: ſiquidem &* Maffei *liber,* Hoc *poſito, habet.*

210.

AT *enim dicitis*] Sunt *qui legant,* At *enim non dicitis. ego ſequor* Maffei *uetuſtum librum, in quo ſcriptum eſt:* At

enim

enim ueram dicitis:hoc eſt perfectam & abſolutam.

211.

VT *æquè pars naturæ negligatur*] *Mendum ſubeſſe manifeſtum eſt.quòd ſi hæc cum ſuperioribus conferantur,ſenſus oſtendet ita legendum eſſe,* Vt *ne qua pars naturæ negligatur.ita etiam in* Maffei *libro ſcriptum eſt.*

216.

SCIS *enim Citiæos clientes tuos è* Phœnicia *profectos*] Laërtius *in* Zenone *autor eſt,Citiæos à* Phœnicibus *originem duxiſſe.quem ego ſecutus, emendaui, è* Phœnicia *,ſiue à* Phœnicia,*cum antea legeretur à poëtica , fœdo errore, & manifeſto.appellat autem* Pœnulum Zenonem,*quaſi callidum,& aſtutum,ut ſunt* Pœni *ferè omnes:qui à* Phœnicibus *nomen acceperunt:qua ratione,*Pœnulum Zenonem *dixit* Cicero,*quòd à* Phœnicibus *eſſet oriundus.*

221.

CONFERAM *autem auum tuum* Druſum] *Si* Plutarchum *audias,corrigendum erit, conferam auunculum tuum* Druſum:*nam auunculum fuiſſe* Catonis Druſum *,* Plutarchus *in* Gracchis,& *in* Catone Vticenſi *autor eſt.*

221.

QVID *enim?ſapientia,&c.*] *Neque in uerbis uitium eſt,neq; in ſententia:rectè habent omnia: quiddam tamen ornatius elucebit, ſi totum continues, & ita legas.* Quòd *enim ſapientia,ubi pedem poneret, non habebat, ſublatis officijs omnibus,officia autem omnia tollebantur, delectu omni & diſcrimine remoto:(quæ enim eſſe poterant rebus omnibus ſic exæquatis,ut inter eas nihil intereſſet?)ex his anguſtijs,&c.Antiquus* Maffei *liber nobiſcum facit, niſi quòd coniunctionem illam,* Enim, *à nobis additam, non habet.*

224.

STVLTORVM] *Hanc uocem, quæ antea deſiderabatur, interiect, acceptam è libro Maffei manu ſcripto, ſententia comprobante.*

234.

ALII *cenſent primum aſcitum, doloris uacuitatem*] *Doloris uacuitatem, in ſuo libro quidam induxerunt, & aſteriſci notam, quæ corruptum locum ſignificaret, è regione appoſuerunt. nos ea uerba conſeruamus, quòd & ſententiam ſanè bonam efficiunt, neq; in antiquo exemplari* Bernardini *Maffæi deſiderantur: ut omittam, quòd libros ſuperioris noſtræ editionis tamen credendum eſt ad propoſitum manuſcriptum exemplar fuiſſe impreſſos.*

253.

VIRTVTEM *ipſam inchoauit: nihil amplius:*] Genus *loquendi, quo* Cicero *etiam alibi uſus eſt, ut in* Verrem *pagina 261. ſeſe ipſum abs te repetit, nihil amplius.* Antea *legebatur:* Virtutem *ipſam inchoauit: nihil itaque amplius noſtrum eſt: inuerſione uerborum obſcurata ſententia.*

256.

VICINITATIBVS *cum ciuibus*] Conſentiunt *in hoc antiqui libri: mihi tamen non eſt dubium, quin ita emendandum, & diſtinguendum ſit,* Vicinitatibus, *tum ciuibus. hoc enim quaſi progreſſu ſerpit charitas generis humani. primi ſunt parentes, & nati: ſequuntur cognati, tum affines, deinde amici, poſt uicini, tum ciues, & qui publicè ſocij atq; amici ſunt. poſtremò humanæ gentis uniuerſæ, & hominum inter homines coniunctio.*

258.

TIBERINA *diſſenſio feſto illo die*] Ouidij *uerſibus adducor, ut pro diſſenſio legendum putem decurſio: hoc facilius*

facilius, quòd Maffei *liber approbat. erat autem feſtus ille dies, quem* Romani *in honorem* Fortunæ *celebrabant. unde* Ouidius *libro* VI. *Faſt.*

Ite, deam læti fortes celebrate Quirites:
In Tiberis *ripa munera regis habet.*
Pars pede, pars etiam celeri decurrite cymba,
Nec pudeat potos inde redire domum.

258.

HAEC *eſt non omnia ſpernentis præter uirtutem, & uirtutem ipſam ſuis laudibus amplificantis oratio. denique*] Si *quis noſtrum librum hoc in loco cum alijs libris conferet: uidebit, unius literæ mutatio, & punctum loco motum quanto ſententiam effecerit aptiorem.*

271.

FIERI *autem poteſt*] Mallem, Ferri *autem poteſt.*

286.

PATRITAM *illam, & auitam*] Recte *patritam, non autem patriam, ut antea legebatur. id* Nonij *teſtimonio comprobatur, qui in uerbo patrita hunc locum recitat, & affert præterea exemplum ex* Varrone.

289.

HOC *eſt ſe ipſum poſſe cognoſcere*] Frigidum, *& planè ſuperuacaneum: itaq; puto eſſe tollendum, ut gloſſam.*

293.

ERRANTIVM *ſtellarum curſus, progreßiones, inſtitiones*] Ex *duabus dictionibus, curſus, progreßiones, feci coniecturam, legendum eſſe, inſtitiones, non, ut antea, inſtitutiones: ut ſimilibus, & conuenientibus utatur uerbis. ſunt autem correctiones quædam: quarum etſi ratio non explicatur, tamen, quibus iudicium eſt paulò ſubtilius, facile, cur factæ ſint, ipſi per ſe intelligunt. rudibus autem, & tardis,*

& ijs, qui ſibi omnia minutatim concidi, omniaq́; tanquam manſa à mutrice inſeri in os uolunt, ego quidem, ut ſatisfaciam, non laboro.

293.

MOTVS *qui animus uidit*] *Inſolens locutio, Animus docuit ſuum animum ſimilem eſſe ſummi opificis. figura eſſet uſitata, Animus docuit ſe ſimilem eſſe ſummi opificis. tollamus igitur mendum, & legamus ex* Maffei *libro,* Motus *qui animo uidit.*

296.

PONTES *ſcatere, herbis prata conueſtirier*] Hic, *ſcatere, pronuntiandum eſt media correpta, ut anapæſtus fiat, ſcater'her. alioqui uerſus claudicabit. ſic &* Lucretius *libro* V. Largifluum *fontem ſcatere, atq; erumpere lumen. & infra in eodem libro,* Et partim *plano ſcatere, atq; erumpere campo.* Plautus *etiam, opinor in Caſina, olere, protulit, media contracta:* Non *omnes poſſunt olere unguēta exotica.*

298.

NEQVICQVAM *aliud eſt*] *Nequicquam pro nihil, non probo: non enim fert* Latini *ſermonis conſuetudo.* Nihil *quidquam aliud eſt, habet* Maffei *liber: placet: ſic enim locutus eſt* Terentius *in* Adelphis, Nihil *quidquam uidi lætius. &* Plautus *in* Merc. Nihil Charine *te quidem quidquam pudet.*

299.

EGO *autem nunquam ita te in hoc ſermone dimittam ulla uti ratione, ut mors tibi uideri malum poßit.*] *Neq; ſenſus, neq; locutio placet. quid enim ſibi uult, nunquam te in hoc ſermone dimittam ulla uti ratione? quis uerò unquam ſic locutus eſt, nunquam te dimittam ulla uti ratione? uerbum dimitto &* Latinū *eſt, & ueteribus uſitatum, neq; eodē modo*

ſemp

ſemper, ſed uarie, cum infinito autem nunquam. itaq; etſi nihil immutaui, ne facerem id, quod faciendum non eſt, ut mihi plus tribuerem, quàm libris manuſcriptis: tamen non dubito, quin ita legendum, & diſtinguendum ſit. Ego autem nunquam ita te in hoc ſermone dimittam, ulla uti ratione mors tibi uideri malum poßit. Cum autem erroris originem quærerem, hanc reperi, quòd particulam illam, uti, quæ hoc loco adiunctiua coniunctio eſt, lector opinatus infinitiuum eſſe modum à uerbo utor, cum ſuperiore membro coniunxit: & ut hoc imperitè, ita illud impudenter, quòd, ut, addidit de ſuo, ut aduerbium, ita, haberet quò referretur: cum, uti pro ut eſſe poſitum, non intelligeret.

299.

LABAMVS, mutamusq; ſententiam clarioribus etiam in rebus: in his eſt enim aliqua obſcuritas] Forte rectius hoc modo. Labamus, mutamusq; ſententiam. clarioribus etiam in rebus ineſt aliqua obſcuritas.

301.

MIGRARE. A. Spero, &c.] Elegantius, ſi, notis literarum, quibus perſonæ ſignificãtur, inductis, cõtinuata oratione ita legatur. Migrare: ſpero fore, ut contingat id nobis: ſed fac, ut iſti uolunt, animos non remanere poſt mortem: uideo nos, ſi ita ſit, priuari ſpe beatioris uitæ: mali uerò, &c.

302.

QVASI uerò iſta, uel quicquam] Qui Viterbi Epiſcopus fuit, Petrus Craſſus, uir bene doctus, & ingenio præſtans, putabat eſſe legendum, Quaſi uerò iſta ui quicquam, eamq; coniecturam in ſuo libro ſcripſerat, quam ego uel diſſentientibus libris manuſcriptis ualde probo. error inde natus eſt, quòd, uei pro ui, ueteres ſcribebant: de quo Politianus in Miſcell. unde in librũ de uniuerſitate idẽ mendũ irre-

pſit pagina 198. ubi legendum eſt, ui cum eadem coniunxit, non, uel cum eadem coniunxit.

306.

OMNIA *iſta perinde ut cuique data ſunt, pro rata parte aut longa, aut breuia dicuntur*] *Legebatur antea, pro rata parte à uita longa. nos ſenſum ſecuti, aut longa, correximus, adiuti non nihil à libro Maffei manuſcripto, in quo legitur, aut ita: ex quo ſum adductus, ut, dictione, ita, in aliũ locum translata, ſic legendum opinarer. omnia iſta, perinde ut cuiq; data ſunt, ita pro rata parte aut lõga, aut breuia dicũtur.*

308.

ET *hoc quidem hoc modo: nihil autem melius æſtimo*] *Ex antiquo libro Maffei legendum puto: Et hæc quidem hoc modo: nihil autem melius extremo: ut hoc totum non ex Socratis oratione ſit, ſed à Cicerone per interpoſitionem prolatum: nam neq; in Platonis apologia hæc ſunt, & dictio illa, inquit, quæ ſubſequitur, ideo uidetur eſſe illata, ut quaſi interruptum ſuperioris orationis filum contexeret.*

309.

IN *quos Symonides*] *In præpoſitio, hic accipitur in bonam partem, pro in quorum laudem, ut de Oratore libro II. Multa in Caſtorem ſcripta, & Pollucem. & de natura deorum libro I. Catulus dilexit Roſcium: in quem etiam illud eſt eius, Conſtiteram exorientem Auroram forte ſalutans, & quæ ſequuntur. De ſenectute etiam, In quem, inquit, illud elogium, unicum plurimæ conſentiunt gentes populi primarium fuiſſe uirum. His exemplis adducti ſumus, ut, In quos, emendaremus, cum, In quo, antea legeretur.*

312.

HAEC *in errore uerſentur*] *Concinnius, Hic in errore uerſetur.*

314.

SOLENNE, & ſtatum ſacrificium] Statum lego, non ſtatutũ, ut habent aliquot impreßi libri. ſic & in oratione de Aruſp. reſp. Statas ſolenneſq; cerimonias. & Liuius lib. XL. Proficiſcuntur ab Theſſalonica Aeniam ad ſtatum ſacrificium. manauit autem latius hoc mendum, ut in ueterum libris ſæpe, pro ſtatum, legatur ſtatutum.

315.

OMNES amicos laude, & lætitia exequi] Et hic, & ſuperiores proximi uerſus, omnes ſenarij ſunt iambici. quòd ſi legatur, ut quidam uolunt, Hunc omnes amicos laude, & lætitia exequi, ſyllaba abundabit.

320.

REFELLERE ſine pertinacia, & refelli ſine iracundia] Mallem ſic, Refelli ſine pertinacia, & refellere ſine iracundia.

324.

SAPIENTIAE contra dolorem, &c.] Corrige cum antiquo libro: Sapienti contra dolorem: ſi fortis in perferendo, officio ſatis eſt.

331.

AVT Philoctetam] Vel in coniectione, AVT, mendum ineſt, uel aliquid deſideratur: itaque placet legere ut eſt in Maffei libro, Prometheum, aut Philoctetam.

Ibidem.

QVAM te enim malo dicere: ſed ille certe non fortis] Hæc ſi parentheſi circuncludantur, apertior erit ſententia.

Ibidem.

LECTVLO, &c.] Locus corruptus: nam libro II. de Fin. ſequentes uerſus non ad Philoctetam, ſed ad ſaxum Lennium referuntur.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

355.

NOLITE *hoſpites adire ad me ilico iſtic*] Trochaicus *eſt, in quem non cadit iambus: itaq; non puto eos rectè ſentire, qui uerbis aliter collocatis ita legunt*, Nolite hoſpites ad *me adire ilico iſtic: nam in quarta ſede iambus eſſet.*

356.

TANTA *uis ſceleris in corpore hæret*] Trochaicus *imperfectus: pedem enim deſiderat: quem reſtituere ſine libris manuſcriptis nefas eſt:* Tanta *uis ſceleris meo in corpore hæret, legendum quandoq; ſum opinatus: quam opinionem nondum mihi uenit in mentem cur abijecerem: itaq; eam protuli, hoc tamen animo, ut, ſiquis contrà dixerit, pugnare nolim.* Verſus *in pedes ita diuidendus eſſet,* Tanta-*uis ſcele-ris me-o in-corpo-r'hæret.*

371.

CADENTES] *Carentes, antea legebatur: itaq; eſt in libris manuſcriptis: mihi tamē uiſum eſt ut emendarē, cadentes: ex* Homeri *uerſu, in quo eſt,* πίπτωσιν*: quod ſignificat, cadunt. uerſus autem hi, quos Cicero uertit, ſunt* Iliados T.

376.

NIHIL *mali*] Puto *rectius,* Nihil *noui. nam ſi legas,* Mali, *ad Cleanthis rationem reuolueris. dixit etiam pagina 217. Animo ſic excubat ſapiens, ut ei nihil improuiſum accidere poßit, nihil inopinatum, nihil nouum.*

390.

VT *ſunt alij ad alios morbos*] *imperfecta ſimilitudo: nam ad particulam, ut, quæ reſpondeat, uox non eſt. forte ita corrigendum.* Vt *ſunt alij ad alios morbos procliuiores: itaque dicimus grauedinoſos quoſdam, quoſdam torminoſos, non quia iam ſint, ſed quia ſæpe: ſic alij ad metum.*

395.

ALI

ALITER *ſerat*] *Opinor legendum eſſe, ſerant: ſiquidem ad uocem, ſtultis, refertur.*

398.

ADVERSA *ratione*] *Maffei liber, Auerſa à ratione. probo. nam etiam ſuprà, 211. Zenonis, inquit, eſt diffinitio, ut perturbatio ſit auerſa à recta ratione contra naturam animi commotio. & 213. Omnium perturbationum fontem eſſe dicunt intemperantiam: quæ eſt à tota mente, & à recta ratione defectio, ſic auerſa à præſcriptione rationis, ut nullo modo, &c.*

411.

IRA *uerò quanquam diu perturbat animum, dubitationem inſaniæ non habet*] *Mendum eſt in uoce, quanquam ueteres libri, quos ego uiderim, habent, quæ quam, deprauate omnino, ſi reſpicimus, dictio ira quò referatur, quòd ſi coniecturæ locus eſt, ita legerem: Ira uerò, quàm diu perturbat animum, dubitationem inſaniæ non habet.*

412.

AT NATVRALIS EST.] *Obiectio: cui reſpondet quod ſequitur: An quicquam eſſe poteſt ſecundum naturam, quod ſit repugnante ratione? & eſt ſententia, niſi fallor, multo concinnior, quàm ſi legas, ut antea, aut naturalis eſt: cum præcedenti membro connectens. ut autem hunc locum una dempta litera correximus, ſic paulò pòſt alium una immutata reſtituimus. nam ubi legebatur, priuſquam eſſet ulla ulciſcendi libido, nos ſenſu meliore emendauimus, prius, quàm eſſet ulta, ulciſcendi libido.*

423.

PVTATVR *dicere, in rotam (id eſt genus quoddam tormenti apud Græcos) beatam uitam non aſcendere*] *Hic locus in nonnullis exemplaribus antiquis ita legitur. ego ta-*

men totum illud, quod parentheſi incluſum eſt, reieci, ſine dubio gloſſam alicuius eſſe putans, qui, rota quid eſſet, exponere uoluerit. quidam tamen eam non agnoſcentes, in ordinem Ciceronis uerborum receperunt.

440.

CVI *rei refertæ*] Concinnius, *Cui refertæ.*

442.

DEBILITATVRVM] *Maffei liber, Debellaturum: utrunq; rectè: magis tamen probo, Debilitaturum, propter uerbum, ſuccumbet, quod ſequitur.*

446.

FÀCERE *non potuerunt?*] *Iacet uerbum, facere, & planè otioſum hic eſt. lege ſine eo: multo erit elegantius.*

449.

QVIDQVID *obiectum eſt*] *Aut, pro Quidquid, legendum eſt, Quid: aut, Quidquid, hic accipiendum pro Quidq; ut apud Lucretiū libro* II. *Inq; ſuos quidquid rurſus reuocare meatus. & libro* III. *Semper enim ſummum quidquid de rebus abundat. & libro* V. *Sic unum quidquid paulatim protrahit ætas In medium. Poſſem ex oratoribus loca recitare: ſed ego, in Latinis locutionibus ubi quid eiuſmodi occurrit, quod ſine exemplorū comprobatione durius uideatur, libentius poëtarum utor autoritate, quàm oratorum: ſunt enim poëtæ certiores Latinæ linguæ teſtes, propterea quòd metri ratio facit, ut mutationi non tam facile locus ſit: quod in oratoribus contra uidemus.*

452.

AT *enim non ſine ignominia afficere poterit ſapientem*] *Locus rectè ſtellula notatus: mendum enim ſubeſſe conſtat. forte ita reſtitui poſſet. At enim non erit ſine ignominia. ignominia afficere poterit ſapientem? de ſapiente enim eſt*

hæc

hæc omnis oratio. ſententia certe hæc uidetur eſſe: quibus autem uerbis explicanda ſit, ſtatuere noſtrum non eſt. ſtudioſi libros antiquos adeant, & eorum ope utentes locum emendent.

455.

OMNEB'QVE *id nos*] *Id, non uideo quid ſpectet. antiqui ſcribebant, It. inde mihi orta coniectura eſt, ut, Item, legendum putarem.*

SCHOLIA PAVLI MANVTII IN SECVNDAM CICERONIS PHILOSOPHIAE PARTEM

Pagina 7.

CAVSAM, *id eſt principium, philoſophiæ eſſe ſcientiam*] *Niſi enim ſcientiæ nobis amor à natura eſſet inſitus, non erat cauſa cur philoſopharemur. ſcientiam autem philoſophiæ cauſam, & originem eſſe, inde cognoſcitur, quòd de natura deorum non modo uariæ ſunt doctiſſimorum hominum opiniones, uerum etiam diſcrepantes. cuius rei cauſa eſt ſcientiæ cupiditas, Cur autem nonnulli hanc lectionē adeo non probauerint, ut corruptū exemplar ſequi maluerint, non intelligo: niſi ſi ea, quæ in ſuo libro manuſcripto non uident, ex ingenio, & coniectura eſſe omnia in animum induxerūt.*

7.

QVID *eſt enim temeritate fortius?*] *Aut hic fortius in malam partem eſt accipiendum, quaſi uiolentius: qua ſignificatione hanc uocem alibi non memini me legiſſe: aut pro fortius corrigendum fœdius; quod affirmare ſine uetuſtis*

exemplaribus non audeo.

7.

QVOD *uero maxime &c.*] *Receptam lectionem non improbo: neq; enim eſt cur debeam. ſed ut medici non eos ſolum, qui ægrotant, ſed eos etiam, qui ſatis commode habent, quandoq; curant, ut ad naturæ beneficium addito artis adiumento, quamoptimam ualetudinem, & ſpeciem conſequantur: ſic nos non ea modo, quæ errorum tenebris inuoluta, minus perſpicua ſunt, ſed ſiquid etiam eiuſmodi eſt, quod lectorem omnino non lateat, quanto magis poſſumus correctione illuſtramus: ut hoc in loco, dixi me receptam lectionem non improbare: neq;, cur improbem, cauſa eſt: tamen ad uenuſtatem, & ornatum quiddam addetur, ſi ita legas. Quod uerò maxime rem, cauſamq; continet, utrum nihil agant, nihil moliantur, ab omni curatione & adminiſtratione rerum uacent: an contra ab his & à principio omnia facta & conſtituta ſint, & ad infinitum tempus regantur, atq; moueantur: in primus magna quæſtio eſt.*

14.

PHYSIOLOGIAM] *Poſt hanc uocem ſequebatur, id eſt naturæ rationem: quod induximus, uidentes gloſſam eſſe ab aliquo adiectam, qui phyſiologiam interpretaretur.*

18.

A' MAGISTRO *Platone uno diſſentiens*] *Primum non ab uno, ſed à multis diſſentiebat: nam philoſophi de dijs uarie ſentiebant: deinde ab alijs potius, quàm à Platone: cuius eandem ferè de dijs fuiſſe ſententiam paulò antè oſtendit: quam eius diſcipuli, Ariſtoteles, & Ponticus Heraclides, ſunt ſecuti: itaq; uidendum, num ita legi poßit: A' magiſtro Platone non diſſentiens.*

19.

ET *tamen modo mundũ, tũm mentem diuinam eſſe putat*] Corrigo, Et *tum mundum, tum mentem* Deum *eſſe putat:* *itaq; planè eſt in* Maffei *libro, niſi quòd habet,* Et *cũ mundũ.*

20.

THEOGONIAM, *id eſt originem deorum*] Hic *quoq; gloſſa fuit: nam illud, id eſt originem deorum, quis non uidet adſcriptum fuiſſe, ut* Theogoniæ *ſignificatio oſtenderetur? qua ratione adducti deleuimus, eo libentius, quòd quibuſdam in antiquis libris expoſitio illa non eſt.*

Ibidem.

VSITATAS *perceptasq; cognitiones*] Rectius *opinor, inſitas perceptasq; cognitiones: nã & in* Maffei *libro ita ſcriptũ legitur: et pagina etiã* 10. *Inſitas, dixit, deorũ cognitiones habemus.* Et *alibi non ſemel. atq; etiã* Lucretius *hac locutione uſus eſt:* Vnde *(inquit libro* V.*) inſita notities eſt utilitatis.*

24.

NON *modo uiderat animo, ſed etiam ſic tractat, ut manu, doceat*] Huius *loci correctionẽ ſenſus ipſe uidetur oſtendere: tollet enim omne mendum, ſi quis ita legat,* Non *modo uiderat animo, ſed etiam ſic tractarat ut manu, docet.*

24.

EXISTAT, *& ad deos affluat*] Legendum *puto,* A' *deo affluat, ſententia ita poſtulante: de quo dubitandum eo minus eſt, quòd pagina* 24. Cum, *inquit, ex ipſo imagines ſemper affluant. &* Lucretius *noſtram coniecturam libro* 4. *planè confirmat.*

31.

QVOD *& non prædicanti tam facile quidem credam, ſicut*] Tam, *& ſicut particulæ non ſunt ſibi inuicem reſpondentes: itaque & locutione magis uſitata, & ſenſu aliquanto aptiore legetur:* Quod *& non prædicanti, tamen*

facile

ſacile quidem crederem, ſicut mali ædificij, &c. quam lectionem habet Maffei liber manuſcriptus.

34.

HVIC *pulchrior deo?*] Concinnior erit ſententia, ſi legatur: *Hui, pulchrior Deo?*

35.

IPSVM *ſibi diſplicere*] *Sic libri manuſcripti: à quibus non diſſentio: uidendum tamen eſt, num rectius ita legi poſſit, ipſum tibi diſplicere.*

35.

SIGILLA *numerantes*] *Senſu, ut opinor, meliore, clariore quidem certa legetur, Sigilla uenerantes.*

37.

QVAE *funditus gens ueſtra non nouit*] *Puto legendum eſſe, Quem: ut ſubaudiatur, morem: & deinde, argumentis ſententiam, non argumenti ſententiam,*

38.

COR, *pulmones, iecur, cæteraq́;, detracta utilitate, quid habent uenuſtatis?*] Corrigo, Cor, pulmones, iecur, cætera: *quæ, detracta utilitate, quid habent uenuſtatis? ut à præcedentibus tenui diſtinctionis nota ſeiungantur, & ad uerbum, habebit, referantur.*

42.

SVPERIOR *aër*] *Antiqui libri & ſuperius aër, & ſupremum aër, habent. ego rectius legi putarem, ſuperiorem aër: ut ſubaudiatur, locum teneat: uel, ſuperior aëri: ut inſequens membrum ſpectet.*

46

HOMINES *non colant*] Hominibus non conſulant, *magis probarem. erat enim hæc* Epicuri *ſententia, deos hominibus non conſulere. quod* Cotta *refellit cum hoc loco, tum in*

fine

fine libri, cum inquit: dij nulla re egentes, & inter ſe diligũt, & hominibus conſulũt. Item libro 1 1.pag.59. *Si, inquit, omnibus hominibus deos conſulere cenſemus.* Et huius diſputationis libro 3.pagina 72. *Primum deorum ne prouidentia mundus regatur: deinde conſulant ne dij rebus humanis. & alibi in eandem ſententiam ſæpiſsime: quæ quia tam manifeſta in re minus uidentur eſſe neceſſaria, prætermittam.*

47.

PRODICVS *Chius*] *Alij uidentur legiſſe in antiquo codice,* Prodicus *Cius. nos hic hæremus, cum ex pagina 9. autorem huius ſententiæ fuiſſe* Perſeum *appareat. niſi ſi uelis legere,* Perſeus *Citieus, non* Prodicus *Cius, literis haud ita diſsimilibus, ut correctio temeraria uideri poſsit.* Perſeum *autem, Zenonis auditorem, fuiſſe* Citieum, *Suidas, &* Laërtius *in Zenone teſtatur.*

55.

DISTINCTIONEM, *ueritatem, pulchritudinem, ordinem*] Ex ijs, *quæ ſequuntur, manifeſtum eſt, uarietatem potius hic eſſe legendum, quàm, ut antea, utilitatem: ut illa ratio omittatur, quòd de utilitate, qua homines adducti deos agnoſcunt, non in quarta cauſa, ſed in ſecunda mentionem facit.*

66.

BIS *bina quid eſſent*] Bina *numerum ſignificat, non qualitatem: itaq; ſic opinor rectius,* Bis *bina quot eſſent, una litera immutata, ſiquidem quit pro quid ueteres ſcribebant: quæ deinde multorum errorum cauſa fuit, deſcribentibus libros hominibus imperitis.*

73.

IS RAPVIT *Proſerpinam*] *Hærebat antea lector hoc in loco, deprauatione uerborum implicatus. nunc ex* Maffei

Maffei libro correctione adhibita, nemo tam tardus eſt, qui, uel curſim legens, ſenſum non percipiat.

81.

SONITV, & *ſpiritu*] *Qui pro ſpiritu, legere malunt, ſtrepitu: non animaduertunt ex ſua lectione uerſum claudicare. hunc autem uerſum, & alios conſequentes recitat Priſcianus in libro de comicis metris.*

82.

SICVT *inciti, atq; alacres roſtris perfremunt*] *Metire uerſum pedibus: uitium deprehendes: quod mutatione parua tolletur, ſi pro, ſicut inciti, legas, Sicuti citi.*

95.

VOMITIONE *canis purgare aluos ibes Aegyptiæ curant*] *Varie legitur in libris manuſcriptis: nam pro purgare, & purgante, & purgantes, & purgant, reperitur, & pro canis, canes: ut fortaſſe ita corrigendum ſit: Vomitione canes purgantur: aluo ſe ibes Aegyptiæ curant. Cuius rei hiſtoriam ex Plinio, & Plutarcho licet cognoſcere.*

98.

MOLLITVR *cibus*] *Satis aptus elicitur ſenſus: mihi tamen magis placeret, Molitur: à uerbo molo molis, unde molares dentes. atq; etiam in hoc uerbo Maffei liber l conſonantem non geminat.*

103.

APERTE *tangendi*] *in libro Maffei lectio probabilior, Pariter tangendi: cuius ſententiam, quia patet, oſtendere ſuperuacaneum uidetur.*

111.

Si mehercule, inquit, Vellei] *Aut in his uerbis mendum eſt, aut quidpiam deſideratur. quod ſi ita corrigas, ſane hercule, inquit, Vellei: non erit, quo lector offendatur. ſubaudietur*

dictur enim, paratus uenio: & optime cum ſequentibus ſententia conueniet.

119.

SENSVM, *& rationem, & orationem, hæc eadem & caniculam non habere*] *Antiqui libri alij habent, ſenſum, & rationem, hæc eadem & caniculam non habere: alij, ſenſum, & rationem, & orationem, hæc eadem orionem, & caniculam non habere. emendo, ſenſum, & rationem, orionem, hæc eadem & caniculam non habere.*

125.

IDAEIS *indigenis*] Idæis *digitis, alij: utrunque deprauatum. ſequor* Conſtantij Fanenſis, *eruditi ſanè hominis & admodum diligentis, ſententiam, qui legit,* Idæis Dactylis, *ex Strabonis libro x. qui ſcribit, unum ex* Idæis Dactylis Herculem *fuiſſe nominatum. & ex* Diodori *ſexto, cuius hæc ſunt uerba:* Primi in Creta circa idem habitarunt Idæi Dactyli *appellati. & infrà,* Scribunt unum ex eis appellatum Herculem. *Sic etiam legitur in* Maffei *libro.* Digitis *autem, ut idem* Conſtantius *rectè conijcit, gloſſa fuit, uerbo* Dactylis *ſuperimpoſita: unde & indigitis, & indigenis errore aucto factum eſt.*

131.

CVIVS *Abazea ſunt inſtituta*] Maffei *liber* Cuius Sabazea: *lego,* Cui Sabazea: *pro, in honorem cuius.* Sabazius *autem* Dionyſij *cognomen fuit: unde* Sabazia *ſacra: cuius nominis etymologiam* Suidas *exponit in uerbo* Σαβάζιος, *&* Ariſtophanis *interpres in* Auibus, *&* Veſpis. *ut fortaſſe apud* Macrobium *libro* 1. Saturn. *pagina* 141. *Legendum ſit,* Sabazium, *non,* Scbadium.

133.

IN Palatio, *& ædem* Larum] *Lares inter res pernitioſas annume*

annumerari mirabar, cum in Maffei uetuſto exemplari ſcriptum animaduerti, in Palatio, & Orbonæ ad ædem Larum. quæ mihi lectio admodum ſanè placuit: quòd, Febris, Orbona, Mala Fortuna, rectè & uideri, & dici res pernitioſæ poſſunt. quod ſiquis hoc argumento contentus non eſt, &, præter antiqui libri autoritatem, amplius præterea deſiderat, Plinium audiat, cuius hæc ſunt uerba libro 2. cap. VII. nat. hiſt. Febri fanum in Palatio, dicatum eſt, Orbonæ ad ædem Larium ara, & Malæ Fortunæ Exquilijs.

134.

POSTQVAM *pater, &c.] Septenarium hunc uerſum oportet eſſe, quemadmodum & inſequentes reliqui ſunt. ut autem legitur, pedibus rectè diſtingui non poteſt. neque ſecus habent antiqui libri. ſed animaduerti, uerſum, nulla mutatione, reſtitui poſſe, ſi ita ſcribatur, ut incipiat à uerbo, Appropinquat! & duæ præcedentes dictiones, tanquam ſuperioris uerſus extremæ, ſeiungantur.*

143.

QVINAM *Tantalidarum, &c.] Senarij tres iambici ſunt: quos nemo hactenus agnouit. mihi cum ſemper ipſa uerba poëticum quiddã olere uiſa ſunt, tũ multo magis, poſteaquàm in Maffei libro ſcriptum legi, ſatias ſupplicij, non ſatietas ſupplicij. quod cum animaduertiſſem, confugi ſtatim ad menſuram: eaq; uſus, deprehendi uitium, quod propter continuatum uerborum ordinem latebat. ſenarios inquam iambicos ex uetere poëta, eſſe comperi. qui ſunt ita diſtinguendi:*

Quinam Tantalidarum internecioni modus
Paretur? aut quænam unquam ob mortem Myrtili
Pœnis luendis dabitur ſatias ſupplicij?

Satias autem pro ſatietas quandoque ueteres dicebant: unde Lucretius libro II. feſſus ſatiate uidendi. & libro V. iuuabant

Cum

Cum ſatiate cibi.

152.

IN *ſecundo conſulatu*] Puto *corrigendum*, In *ſecundo de conſulatu : ut ſubaudiatur, libro.*

158.

AETHEIVM] *Plutarchus in Craſſo* Ateium *appellat: quo modo hic etiam legendum puto : quando eum* Dion *hiſtoriarum libro* XXXIX. C. *Ateium Capitonem nominat : Capito autem cognomen* Ateiorum, *non Aetheiorum fuit. de prænomine, ſi Dionem ſequi uolumus, Caium adſcribemus,non* Publium.

164.

MINVS *mirum eſt*] H*æc tota ſomnij interpretatio conſtat è ſeptenarijs : itaq; non intelligo quid ſpectauerint ij, qui ueterem lectionem mutarunt,&* pro,*Minus mirum eſt, legere maluerunt,minus mirandum eſt.*

180.

POLYBVM *Corinthium*] Polidum *Corinthium, Maffei liber, minus corruptè, ſed ut mendum tamen penitus non tollat : nam eſt ſcribendum,* Polyidum *Corinthium,* ex Homeri *loco,quem Cicero ſignificat,qui eſt* Ilia*dis lib.* 13. *his uerbis:*

Ἦν δέ τις ἐυχήνωρ πολυΐδου μάντιος υἱός
ἀφνειός τ' ἀγαθός τε, κορινθόθι οἰκία ναίων,
ὅς ῥ' εὖ εἰδὼς κῆρ' ὀλοὼν ἐπὶ νοὸς ἔβαινε·
πολλάκι γὰρ οἱ ἔειπε γέρων ἀγαθὸς πολύϊδος,
νούσῳ ὑπ' ἀργαλέῃ φθίσθαι οἷς ἐν μεγάροισιν,
ἢ μετ' ἀχαιῶν νυσὶν ὑπὸ Τρώεσσι δαμῆναι.

181.

DE *principum filijs ſex ſingulis* Etruri*æ populis*] Va*lerius* Maximus *non ſex, ſed decem fuiſſe tradit,qui ſingu-*

lis Etruriæ populis in diſciplinam traderentur.

181.

VT enim Aegyptij, ut Babylonij] Vt Aegyptij, ut Babylonij, libentius legerem: uel, Etenim Aegyptij, & Babylonij.

183.

SOMNIANDI cauſa excubabant] Videtur eſſe legendum, Incubebant: quo uerbo & Virgilius, de Latino Rege loquens, in eandem ſententiam libro VII. uſus eſt, cùm inquit: Pellibus incubuit ſtratis ſomnosq; petiuit.

185.

PRAEROGATIVAM etiam maiores omnes iuſtorum comitiorū eſſe uoluerunt] Non, omnes, ſed omē ueram lectionem eſſe puto: quo modo etiam legitur pagina 125.

186.

TIBI P.Claudius] Puto legendum, App.Claudius: qui fuit P.Clodij frater, augur peritiſſimus, qui etiam de augurali ſcientia libros edidit. quòd ſi, hunc eſſe Appium Claudium, probabitur: conſtabit ex hoc loco, uel ijs, qui iuuenes admodum eſſent, Romæ olim fieri augures licuiſſe, quippe cùm triennio ante Appij Aedilitatem Cicero Conſul fuerit, Aedilitas autem conſulatum quinquennio præceſſerit: qui ante XLIII. ætatis annum nemini, niſi extra ordinem, dabatur: eoq; anno qui conſules fiebant, ſuo anno conſules fieri dicebantur: quod alibi Cicero ſibi contigiſſe dicit. ſed hac de re & plenius, & diſtinctius in eo libro, quem de magiſtratibus Romanis aggreſſi ſumus.

187.

ROMVLVS pulcher in alto Quærit Auentino] Liuius aliter: non enim Romulum, ſe Remum in Auentino obſeruaſſe tradit.

VER

194.

VERISIMILE eſt] *Ordinē uerborum & ſententiam ſecuti ſic emendauimus: cum antea legeretur, ueriſimiles.*

195.

PERMISTI *cum corpore animi*] *Nihil muto, neq; mutandum cenſeo: fuit tamen, cum dictionem, animi, crederem abundare.*

196.

VT *enim Ceos*] Particulæ, *ut, non uideo quid reſpondeat. omnino in Ciceronis ſcriptis nonnulla deprehenduntur, quæ non habent quò referantur: ſed utrum id ſcriptoris, an librariorum uitio ſit aßignandum, ignoro. hic quidem unius literæ mutatione reſtitui poterit,* Etenim Ceos.

213.

INDVCITIS] *Duo uerba, quæ ſequuntur,* Captiones, & Explicetis, *facilè me adducunt, ut legendum putem,* Induitis: *qua ratione item in* Verrem *dixit, induere ſe in laqueos: & Lucretius libro* III. Ac *nos in fraudem induimus fruſtra nimis ipſi.*

236.

AVT *ea ne ipſi quidem dij ſignificare poſſunt*] *Mihi hoc totum fruſtra uidetur inculcatum: quorſum enim, cùm idem ſignificet id quod dixit,* Aut, *quid euenturum ſit, ignorant?*

237.

NEGANT *enim id eſſe alienum maieſtatis deorum, ſcilicet cauſas omnium introſpicere*] Apparet, *hæc præcedentibus eſſe attexenda, locumq́; ita corrigendum:* Negant *etiam id eſſe alienum maieſtatis deorum, ſcilicet, caſas omnium introſpicere. quo enim ordine Chryſippus,* Diogenes, & Antipater *rationes, cur diuinatio eſſet, attulerũt: eodem ordine eas ipſas rationes conatur* Cicero *confutare.* Negat etiã, in-

 quit,

quit, id eſſe alienum maieſtatis deorum, caſas omnium introſpicere, ἐιρωνικῶς: quaſi dicat: Maximè eſt alienum maieſtatis deorum, caſas omnium introſpicere, ut uideant quid cuiq; conducat. & dixit caſas potius, quàm domos, ut humilitate uerbi maior eſſet ironia: domos enim principes uiri habitare ſolent, caſas non ſolent, quæ agreſtiũ propriæ ſunt. Dictionem autem illam, ſcilicet, ita accipimus, ut per ironiam poſita ſit, non ut, id eſt, ſignificet. Neq;, Maieſtate, lego, pro maieſtatis: cum alienus etiam generandi caſu coniungatur: ut libro I. de Finibus 51. Quis alienũ putet eius eſſe dignitatis, quã mihi quiſq; tribuit? & de Vniuerſitate 198. Naturam fugientem, & eius copulationis alienam. & Salluſtius in Cat. Domus D. Bruti propinqua foro, neq; aliena cõſilij propter Semproniam. & Lucretius libro VI. Alienaq; pacis eorum. & infrà, Nec tamen hæc ita ſunt aliarum rerum aliena.

239.

QVORVM *interpres*] L. Cotta: *de quo Suetonius in Iulio Cæſare his uerbis. Percrebuit fama, L. Cottam XV. uirum ſententiam dicturum, ut, quoniam libris fatalibus continetur, Parthos niſi à Rege non poſſe uinci, Cæſar Rex appellaretur. Ex quo Ciceronis locus illuſtratur, & ſimul intelligitur, libris ſibyllinis interpretãdis XV. uiros præfuiſſe.*

240.

QVAE *Ennius fecit*] *Puto hoc inducendum, ut gloſſam præcedentis uerbi.*

253.

STIRPES *omnes eijciendæ ſunt*] *Elidendæ, non dubito quin corrigendum ſit, ut cum uerbo, ſtirpes, & cum uerbo item, propaganda, quod in ſuperiore membro poſitum eſt, in trallatione conſentiat. Sic etiam locutus eſt Tuſculanarum quæſtionum libro III. pagina 208. Stirpes, inquit, ægritudinis,*

tudinis, trunco cucrſo, omnes elidendæ.

257.

QVID *autem magnum, & naufragum illum ſine nomine in riuo eſſe lapſum?*] Tollenda ſtellulæ nota, neſcio quo modo è regione poſita. *ſenſus eſt: quid mirum eſt, naufragum quoq; illum in riuo eſſe lapſum? intulit autem poſt uocem magnum, particulam, &, propterea quòd iam exemplū de Daphita, & de* Philippo *confutarat: quaſi diceret, prætereà.*

281.

DISPVTARI *ſolent nimirum iſta*] Vetuſtum exemplar Maffei, *Diſputari ſolet nimirum iſta: unde mihi orta coniectura eſt, nimirum iſta, gloſſam fuiſſe, eamq; omnino eſſe inducendam: quod tamen prius non adducar ut faciam, quàm id mihi per antiquos libros licere perſpiciam.*

285.

VNDE *enim illa*] Rectius ex antiquo libro, Vnde eſt *illa: nam coniunctio, enim, non ita cum præcedenti, aut cum inſequenti membro cohæret.*

285.

ATTICE * *uidetur*] Tale quidpiam ſuſpicor deeſſe, Vt *opinor: ut ita continuata oratione legatur.* Attico, *ut opinor, uidetur, mihi quidem certe, ex natura ortum eſſe ius.*

293.

ESSE *uoluerunt*] Rectè, *noluerunt, legit* Iuriſconſultorum *princeps Alciatus in libello de quinq; pedum præſcriptione. & paulò pòſt, Sed nos tres arbitri.*

295.

SVIS, *omnibusq; natura coniunctos*] *Suis coniunctos, non uideo quo ſenſu legatur. rectius uideretur, ſibi.*

298.

EOSDEM *migrare*] Eos demigrare, *crederē eſſe corri-*

gendum: & paulò pòſt, Videar adduci, pro uideam adduci.

299.

CVM *pro* Ambio] *Quis hic Ambius fuerit, ignoratur: neq; pro eo Ciceronem, aut Pompeium dixiſſe, comperimus: utrunq; autem pro* Balbo: *pro quo extat luculenta Ciceronis oratio: itaq; corrigo, Cùm pro* Balbo, *approbante Maffei libro manuſcripto.*

299.

QVAM ex Quinto *ſæpe audio*] *Ineptum, ſi ad amœnitatem referatur: potius referendum uidetur ad id, quod ſequitur de* Thebano Epirote: *& pro, Quam, legendum, Quemadmodum: quam uocem ita ſcimus à librarijs nonnullis apice ſuperimpoſito contrahi ſolere, ut interdum uel Quam, uel aliud ſimile potius, quàm quemadmodum, ſignificare uideatur.*

304.

NE'VE *nouos, ſed ne aduenas*] *Veram lectionem eſſe puto, Ne'ue nouos, & ne aduenas: parua admodum, & propè nulla mutatione: ſiquidem, ſet, ueteres ſcribebant, pro ſed: & ſæpe hoc mendi genus deprehendimus, cùm alicuius uerbi prima litera ex ultima antecedentis ſumpta, & repetita eſt.* Maffei *liber habet, Ne'ue nouos, ſiue aduenas. antiquitatem magis oleret, Ne'ue nouos, ne'ue aduenas.*

305.

TEMPLA *liberata & efflata*] Ex *antiquorum teſtimonio, & autoritate legendum eſt, Effata. nam* M. Varro *de* Lingua Lat. *Hinc, inquit, effata dicuntur, quòd augures finem auſpiciorum cœleſtium extra urbem agris ſint effati. hinc effari templa dicuntur. ab auguribus effantur, qui in his fines ſunt. hinc fama nominata, quòd* Pontifices *in ſacrando fati ſint finẽ.* Et Gellius *lib.* XIII. *cap.* XIIII. *de pomœrio*

rio his uerbis. Pomœrium quid eſſet, Augures populi R. *qui libros de Auſpicijs ſcripſerunt, iſtiuſmodi ſententia definierunt.* Pomœrium *eſt locus intra agrum effatum, per totius urbis circuitum penè muros, regionibus certis determinatus: qui facit finem urbani auſpicij. & in eodem cap. neque poſtea* D. *Iulius, cùm pomœrium proferret, intra effatos urbis fines incluſerit. Pomœrium eſt circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam* Hetruſci, *quà murum ducturi erant, certis circa terminis inaugurato conſecrabant.* Vti *appareat, effari, & conſecrare idem eſſe. Præterea* Liuius *lib.* I. Iouis Statoris *ædem uotam, ut* Romulus *antè uouerat: ſed fanum tantum, id eſt locus templo effatus iam ſacratus fuerat.*

306.

VT *& tu rogas*] *Alluſit ad tabellas, in quibus ſcriptum erat, uti rogas.* Vide *ad* Atticum *lib.* I. *&* Liuium *lib.* 33.

308.

MALAE Fortunæ, *deteſtatæq;*] *In antiquioribus libris, Malæ Fortunæ deteſtatur. ut exiſtimem uerbum, deteſtatur, eſſe inducendum, ueluti gloſſam ab aliquo adſcriptam ad id, quod ſequitur,* Quæ *omnia eiuſmodi repudianda ſunt: ut oſtenderet* Ciceronem *eiuſmodi omnia deteſtari.*

312.

EVMOLPIDAEQVAE NOSTRI] *Aut corrigendum,* Eumolpidæq; *ueſtri: aut in nominibus perſonarum error eſt: nam* Eumolpidæ *ſacerdotes erant* Athenis. *repetam igitur quod ſuprà eſt, idq;, ut eſt in* Maffei *libro, perſcribã.* Verſatur *oratio. at uerò, quod ſequitur, quo modo aut tu aſſentiare, aut ego reprehendam?* M. *ſanè quæro* Tite, *quid tandem id eſt?* Att. *De nocturnis ſacrificijs mulierum.* M. *Ego uerò aſſentior, excepto præſertim in ipſa lege ſolẽni*

ſacrificio ac publico. Att. *Quid ergo aget Iacchus, Eumolpidæq; noſtri, & auguſta illa myſteria, ſiquidem ſacra nocturna tollimus? non enim populo R. ſed omnibus bonis, firmisq; populis leges damus. excipis, credo, illa, quibus ipſi initiati ſumus.* M. *Ego uerò, &* C. *Hoc totum uacare mendo exiſtimamus. nam illud, ſanè quæro Tite, refertur ad memoriam. quæro, inquit, quid ſit quod in lege ſequatur. deinde, quaſi reminiſci non poſſet, infert. quid tandem id eſt?*

316.

IVRISCONSVLTVS] *Solœciſmus uidetur eſſe, cum ad uerbum, Diſpartiuntur, quod eſt numero multitudinis, referatur.*

321.

ASTIM *cum illo*] Ex Maffei *libro legendum eſt, ne in Aſtico ſepeliretur. Aſticus autem locus erat Athenis, ubi liberi hominès ſepeliebantur, cùm alibi mercedem pro ſepulcro penderent.*

321.

DOMVS'QVE *funeris*] *Dominuſq; funeris, opinor emendandum: quemadmodum etiam in oratione in Vatinium dixit, Dominus epuli.*

328.

SENATORI, *qui nec aderit, aut cauſa, aut culpa eſto*] *Apparet, quidpiam deſiderari. non enim adeſſe ſolum iubebatur ſenator, ſed etiam loco, & modo dicere. quod Cicero pagina 192. ubi hunc locum exponit, planius oſtendit his uerbis. Huic iuſſa tria ſunt: ut adſit: nam grauitatem res habet, cum frequens ordo eſt: ut loco dicat, id eſt rogatus: ut modo, ne ſit infinitus. uidetur igitur ita eſſe corrigendum: ſenatori, qui nec aderit, nec loco, nec modo dixerit, aut cauſa, aut culpa èſto. Quod cum in antiquis libris, ut conijcio,*

ſcript

ſcriptum eſſet, gloſſam duobus illis uerbis, Loco, *&* Modo, *quidam ſuperimpoſuit, & ſcripſit,* Loco *ſenator, modo orator: quod deinde irrepſit in alienum locum, & tanquam à Cicerone dictum accipi cœptum eſt. itaq; etiam uideo non nullis in ſuo libro imprimi placuiſſe. qui etiam id, quod ſequitur,* Cauſas *populi teneto, cum præcedentibus coniunctum deprauarunt, ut legeretur, Loco ſenator, & modo orator cauſas populi tenento: Cum, teneto, legendum ſit, & ad ſenatorem tantummodo referatur, non, ut ipſi crediderunt, ad ſenatorem & oratorem. hoc autem ita eſſe probatur ex Ciceronis uerbis pagina* 192. *ſic enim inquit.* Quodq; *addit,* Cauſas *populi teneto: eſt ſenatori neceſſarium noſſe* Rempublicam.

332.

PERTVRBANDAS] *Tollenda aſteriſci nota ſine cauſa appoſita.*

333.

SAPIENTIA *maiore nihilo uide*] *Alij,* Nihilo *uideris, ſenſu mihi quidē parum probato.* Maffei *liber habet, ſapientia inde maiorum non'ne uides, quòd: ut putem eſſe legendum: ſapientiam maiorum non'ne uides, quòd conceſſa &c.*

333.

QVOD *ſi is caſus, &c.*] Hic *locus ex* Maffei *libro ita uidetur eſſe corrigendus.* Quòd *ſi is caſus fuiſſet rerum, quas pro ſalute* Reip. *geßimus, ut non omnibus gratus eſſet, & ſi nos multitudinis uis furentis inflammata inuidia pepuliſſet,* Tribunuſq; *aliquis in me populum, ſicut* Gracchus *in* Lenatem, Saturninus *in* Metellum, *incitaſſet: ferremus ò* Quinte *frater: &c.*

335.

QVI *eas frangere deberent, cupiditatis eiuſdem tenerentur?*

tur?] *Etſi teneor cum genitiuo legitur apud* Plautum:*tamen* *& ad ſententiam*, *& ad uſum loquendi magis placeret hæc lectio* : *Qui eas frangere deberent*, *eiſdem tenerentur.*

336.

QVAECVNQVE *mutatio morum extiterit*, *eandem in populo ſecuturam*] *Cùm de præteritis oratio ſit*, *apparet legendum eſſe*, In *populo ſecutam.*

336.

IVDICANDO *quin in lege*] In *uerbo*, *quin*, *mendum eſſe conſtat* : *neque uetuſti libri diſcrepant. forte*, *itemq́;*, *legendum ſit.*

337.

FLETVS] Fluctus,*recte putat eſſe legendum* Hieronymus Ferrarius *iuuenis pereruditus. eſt autem ſenſus* : Faciebat Gratidius Arpini, *quòd pòſt* Romæ *filius eius* Marius *fecit. hoc autem translatis uerbis eleganter expreßit.*

337.

AC *noſtro quidem*, *qui cum*] Si *relatiuum*, *qui*, *tollatur*, *mendi nihil ſupererit. non enim aſſentior ijs*, *qui illud*, Ac *noſtro quidem cum præcedenti membro connectunt*:*ex quo inepta plane*, *atq; inſulſa fieret ſententia. noſter autem ſine ſubſtantiuo quadoque ueteres uſurpabant*, *ut* Terentius *in* Phorm. Noſter, *quid ageret*, *neſcire* : *&* Cicero *in epiſt. fam.*236 : *Quòd noſtra tibi gratias agit.*

339.

SAEPISSIME, *nullo*] Ex *antiquo libro particulam*, Cum,*interpono* : *ut legatur*, *ſæpißimè*,*cum nullo &c.*

339.

DILIGENTIAE *memoriam eſſe*]Corrigo ex Maffei *libro & ex ſenſu*,Diligētis *memoriæ eſſe*:*nam illud*,*diligengētiæ memoriā eſſe*,*frigidā habet ſententiā*,*& perabſurdam.*

OPEM

340.

OPEM *referre*] *Opem reip. ferre, coniecturam ſecutus emendo. erroris origo, ut opinor, ea fuit, quòd in antiquis libris cum ſcriptum eſſet,* R.P. *ferre, pro* Reipublicæ *ferre, ab imperitis immutatum eſt, & ſcriptum referre.*

340.

SERVI, *& latrones*] *In antiquis libris, Serui atq; patroni, &, Serui & patroni tui, legebatur: nos, Serui & latrones, emedauimus: ut tamen, ſiquis melius attulerit, libenter eum ſecuturi ſimus.*

340.

SEQVITVR *de captis pecunijs, de ambitu legis*] *Adiutus à uetere ſcriptura emendo: Sequuntur de captis pecunijs, de ambitu leges. duo enim capita, quorum alterum ad captas pecunias, alterum ad ambitum pertineret, leges appellat: ut paulò antè, cũ dixit,* Leges *præclariſſimæ de* XII. *tabulis translatæ duæ, quarum altera priuilegia tollit, altera de capite ciuis rogari, niſi maximo comitatu, uetat.*

344.

EXPLICANDVM *uidetur, eſſe cognitio*] Verba Platonis in Timæo hæc ſunt. ὡς ἄρα τοὺς λόγους, ὧν πέρ εἰσὶν ἐξηγηταί, τούτων αὐτῶν καὶ συγγενεῖς ὄντας. *ex quibus apparet legendum eſſe, cognatio: non, cognitio: ut fortaſſe ita locus reſtituendus ſit.* In omni oratione, *cum ijs rebus, de quibus explicatur, uidetur eſſe cognatio.*

345.

RECTE *ne igitur, &c.*] Videtur *ita corrigẽdum.* Rectè *ne igitur unũ mundum dixerimus: an fuit, plures & innumerabiles, dictu uerius & melius? tranſtulit enim* Platonis *locum totidem uerbis: quem ſubijciemus, ut, ſi quis uelit, conferre poſſit.* πότερον οὖν ὀρθῶς ἕνα οὐρανὸν προσειρήκαμεν;

ἤ, πολ

ἢ, πολλοῦς καὶ ἀπείρους, λέγειν ἦν ὀρθότερον.

346.

DEIVNCTA] Ex ſenſu, & ex Platone corrigo, Deuincta.

347.

ALTERA gigneretur] Alter, legendum eſſe & ſenſus, & uerba Platonis oſtendunt. mirum autem, tam multis mendis hunc de uniuerſitate librum ad hunc diem refertum fuiſſe, cum ex collocatione Platonis non ille quidem ubique, ſed certè plurimis in locis potuerit emendari.

347.

CONCLVDVNTVR: & globoſus] Rectè: neque mutatione opus eſt. Græcè tamen ſic: διὸ καὶ σφαιροειδής. quod eſt, Quare & globoſus.

347.

QVOAD eius præſtabat iudicio diſsimilitudini ſimilitudo] Senſus requirit, ut legatur, Quòd eius: idq́; potius Græca uerba ſignificant: νομίσας μυρίῳ κάλλιον ὅμοιον ἀνομοίου.

348.

INGRESSVS corpore ſuſtineret] Maffei liber, Ingreſſurus corpus ſuſtineret. ueram lectionem puto, Quibus ingreſſus corpus ſuſtineret. Græca uerba, οὐδ' ὅλως τῆς περὶ τὴν βάσιν ὑπηρεσίας.

348.

FIGVRAE eius] Antea, Figuratus. nos Græca uerba ſecuti, Figuræ eius, emendauimus, & proxime, cohiberet maxime, cum antea legeretur, cohiberet. maxima. quo loco ſententiam diſtinctio mutabat.

348.

QVI erat] Græca lectio, ὄντος ἀεὶ λογισμὸς θεοῦ: ut uideatur legendum, Qui ſemper erat.

349.

NATVRAN'QVE *illam, quam alterius diximus, uel cum eadem coniunxit*] Vel, *expungendum: & , ui, reponendum.* τὴν θατέρου φύσιν δύσμικτον οὖσαν εἰς ταυτὸ συναρμοττονβία.

349.

PERMISCENS *cum materia*] *Diſtinguendum à ſuperioribus, &,* Autem,*addendum: ut ſit,* Permiſcens *autem cum materia.* μιγνὺς δὲ μετὰ τῆς οὐσίας.

350.

ATQVE *ita cum alterum eſſet exteriorem amplexus orbẽ*] *Et ſenſus, & Græca lectio indicat hæc duo uerba deſiderari,* Alterum interiorem*: ut hic ordo ſit, Atq; ita cum alterum eſſet exteriorem, alterum interiorem amplexus orbem. quod etiam ex inſequenti membro clarius oſtenditur, cum ſubijciat, illum eiuſdẽ naturæ, hunc alterius nominauit.* Græca uerba Platonis *hæc ſunt:* καὶ τὸν μὲν ἔξω, τὴν δ᾽ἐντὸς ἐποιεῖτο τὸν κύκλον, τὴν μὲν οὖν ἔξω φορὰν ἐπεφήμισεν εἶναι ταυτοῦ φύσεως, τὴν δ᾽ἐντὸς τοῦ θατέρου.

.350.

EAMQVE, *quæ erat eiuſdem, detorſit à latere in dextram partem: hanc autem citimam & à media*] Ex Græcis *uerbis uidetur emendandum, Eumq;, qui erat eiuſdem, detorſit à latere in dextram partem: hunc autem alterius, à media &c. eſt enim de orbibus oratio, ut in* Platone *perſpicitur. & uerbum, citimam, non eſt in* Maffei *libro, ſed,* Itẽ, *pro eo.*

350.

RATIONIS, *contentionisq; &c.*] Totum hunc locum *opinor ita eſſe corrigendum:* Rationis concentionisq; (ἁρμονίας *Græce*) *compos & particeps: quo nihil ab optimo & præſtantiſſimo ſempiternarum rerum & ſub intelligentiam*

cadent

cadentium genitore melius procreatum. λογισμοῦ δὲ μετέχουσα καὶ ἁρμονίας ψυχή. τῶν νοητῶν ἀεί τε ὄντων ὑπὸ τοῦ ἀρίστου, ἀρίστη γενομένη τῶν γεννηθέντων.

Ibidem.

QVIPPE *qui,&c.*] Hic locus ex Græcis uerbis ita corrigendus. Quippe qui ex eadẽ iunctus, alteraq́; natura, adiũcta materia, tẽperatione triũ partiũ, proportione cõpactus, ſe ipſe conuerſans, cum materiam mutabilem arripuit, & cum rurſus indiuiduam atq; ſimplicem, in ſe omnis mouetur, &c.

351.

RATIO *autem uera*] Alij, Ratio autem utraque, non rectè. iiſdem enim uerbis Græca lectio reſpondet: λόγος δὲ ἀληθής.

351.

SINE *uoce, & ſine ullo ſono*] Siquis Græcam lectionem ſequatur, intelliget addendum, reuoluta, φερόμενος ἄνευ φθόγγου καὶ ἠχῆς. & quod ſequitur, legendum, cum eam partem, non, cum eandem partem: ex Græcis uerbis, ὅταν μὲν περὶ τὸ αἰσθητὸν γίγνηται.

Ibidem.

ORBIS *illius generis alterius*] Vt hoc totum ſine interſpiratione cum ſuperioribus continuetur, & omnia referantur ad illud, Tum opiniones: crederem legendum, Orbisq́; illius generis alterius: ex Græcis uerbis, καὶ ὁ τοῦ θατέρου κύκλος. quæ etiam uocem, Illius, uacare ſignificant.

351.

ITA *uim ſuam*] Rectè à ſuperioribus interuallo diſtinctum: nam ad quinquaginta uerſus intercepti ſunt.

351.

QVANDO *igitur,&c.*] Hoc totum ſi cum Græco conferas, intelliges ad hunc ferè modum eſſe reſtituendũ. Quando igi

do igitur unumquodq; eorum ſyderum curſum decorum eſt adeptum, quibus erat motus temporis conſignandus: colligataq; corpora uinculis animalibus animantia orta ſunt: tum imperio parare didicerunt.

353.

TERTIVM * *terreſtre quartum*] Reſtituo, Tertium *aquatile, terreſtre quartum. hæc enim Græca uerba:* τρίτη δὲ ἔνυδρον εἶδος: πεζὸν δὲ καὶ χερσαῖον, τέταρτον.

Ibidem

CVM'QVE *ſimilem uniuerſitatis naturæ efficere uellet*] Nihil *muto, tamen magis arrideret, Vniuerſitatis figuræ, quàm, uniuerſitatis naturæ.* τῷ δὲ παντὶ προσεικάζων.

Ibidem

COMITE'QVE *eum ſapientia quamoptimæ mentis effecit*] Adſcribam Græca uerba, quibus Latina haud planè reſpondent. τίθησί τε εἰς τὴν τοῦ κρατίστου φρόνησιν, ἐκείνῳ ξυνεπόμενον.

Ibidem.

HVNC *uarietate diſtinctum*] Ex Maffei libro, & ex Platone, Hac uarietate diſtinctum, reſtituo.

Ibidem.

IAM *uerò terrã, &c.*] Græca uerba recitemus, ut quomodo Latina ſint reſtituenda, uideamus. γῆν δὲ τροφὸν μὲν ἡμετέραν, εἱλλομένην δὲ περὶ τὸν διὰ παντὸς πόλον τεταμένον, φύλακα καὶ δημιουργὸν νυκτόν τε καὶ ἡμέρας, ἐμηχανήσατο πρώτην καὶ πρεσβυτάτην σωμάτων ὅσα ἐντὸς οὐρανοῦ γέγονε. Ex quibus apparet, Latinam orationem ita eſſe corrigendam. Iam uerò terram, altricem noſtram, quæ traiecto axe ſuſtinetur, diei noctiſq; effectricem, eandemq; cuſtodem, primam & antiquiſſimam corporum uoluit eſſe eorum, quæ intra cœlum gignerẽtur.

Maffei

Maſſei liber nonnihil hanc emendationem adiuuat: nam pro eorum qui, habet eorumq́;: cùm uera lectio ſit, eorum quæ.

Ibidem.

RVRSVS'QVE *emerſi errorem incutiant rationis expertibus*] Corrigo, *terrorem incutiant, uel, ut eſt in Maſſei libro, horrorem incutiant.* καὶ πάλιν ἀναφαινόμενοι φόβους καὶ σημεῖα τῶν μετὰ ταῦτα γενησομένων τοῖς δυναμένοις λογίζεσθαι πέμπουσι.

354.

VSVRPARE, *atque appellare uidemus*] *Paſsiuè puto eſſe legendum, uſurpari atque appellari uidemus. nam in* Platone, λεγομένους ἴσμεν.

Ibidem.

NON *ſunt diſſoluta me inuito*] Alij, *Hæc ſunt indiſſoluta me inuito. Corrigendum puto, Hæc ſunt indiſſolubilia me inuito. hoc enim Græca uerba ſignificant:* ἃ δι᾽ ἐμοῦ γενόμενα, ἄλυτα ἐμοῦ γε θέλοντος. *id eſt, quæ per me facta ſunt, non diſſoluētur, ſi ego uoluero. Cicero uertit illud,* ἐμοῦ γε θέλοντος, *me inuito. quod tamen eandem habet ſententiam, quam haberet, me uolente: ut, qui conſiderabit accuratius intelliget.*

355.

TENEAT *autem oportebit, ut eodem nequid abſit, quæ à me ipſo effecta ſint, quod deorum uitam poſsit adæquare*] Corruptus locus, & *fortaſſe mutilus: quem ex Græcis uerbis qui uoluerit emendabit.* δεῖ δὲ, εἰ μέλλει τέλεος ἱκανῶς εἶναι. δι᾽ ἐμοῦ δὲ ταῦτα γενόμενα, καὶ βίου μετασχόντα, θεοῖς ἰσάζοιτ᾽ ἄν. *ac fortaſſe non abſurdè, mutatione certè parua, ſic corrigi poſsit.* Teneat *autem oportebit, ut ex eo nequid abſit. ſed quæ à me ipſo effecta ſint, deorum uitæ poſsint adæquare. nam & Maſſei liber uerbum,* Quod, *inducit.*

355.

SVPERISQVE *permiſtionis*] Fortè, *ſuperiorisq́; permiſtionis.* τὰ τῶν πρόσθεν ὑπόλοιπα κατεχεῖτο μίσγων.

Ibidem.

NISI *quòd,&c.*] Plato ſic. ἀκήρατα δ' οὐκέτι κατὰ ταῦτα ὡσαύτως, ἀλλὰ δεύτερα καὶ τρίτα: *quæ referuntur ad uerbum* ὑπόλοιπα: *ut uideatur in Cicerone legendum: Niſi quòd nō ita incorruptas, ut eæ quæ ſemper idem, ſed à dijs ſecundas ſumebat atq; tertias.*

355.

CVM *autem animis corpora cum neceßitate inſeuiſſet, cumq́; ad corpora neceßitate tum abſceßio fieret, tum acceßio, neceſſe erat, &c.*] Trallatio cum Græcis uerbis non planè congruens. Quòd ſi uerius uertere quis uelit, ita ſcribet. *Cum autem animos corporibus neceßitate inſeuiſſet, cumq́; ad corpora tum acceßio fieret, tum abſceßio: primo neceſſe fuit ſenſum exiſtere unū, communemq́; omnium, uehementiore motu excitatum, coniūnctumq́; naturæ. Quam lectionem & antiqui libri quadam ex parte probant. Græca autem uerba hæc ſunt.* ὁ πότε δὴ σώμασιν ἐμφυτευθεῖεν ἐξ ἀνάγκης, καὶ τὸ μὲν προσίοι, τὸ δὲ ἀπίοι τοῦ σώματος αὐτῶν, πρῶτον μὲν αἴσθησιν ἀναγκαῖον εἴη μίαν πᾶσιν ἐκ βιαίων παθημάτων ξύμφυτον γίγνεσθαι.

356.

ALIOS *in terra, alios in luna*] Terram & Lunam *accuſandi caſu, rectius legetur. Græca quidem uerba ſignificant, Solem &* Lunam, non Terram & Lunam. τοὺς μὲν εἰς ἥλιον, τοὺς δ' εἰς σελήνην.

356.

DEINDE *ut huic animanti, &c.*] *Si Græca uerba ſequamur*

quamur, ita corrigemus: Deinde ut huic animanti principes ſe duceſq; præberent, uitamq; eius pulcherrimè regerent, & gubernarent, niſi ſi ipſe ſua culpa ſibi aliquid miſeriæ quæreret. καὶ πάνθ᾽ ὅσα ἀκόλουθα ἐκείνοις ἀπεργασαμένοις ἄρχειν, καὶ κατὰ δύναμιν ὅτι κάλλιστα καὶ ἄριστα τὸ θνητὸν διακυβερνᾶν ζῷον, ὅτι μὴ κακῶν αὐτὸ ἑαυτῷ γίγνοιτο αἴτιον.

357.

MODO huc, modo illuc] Poſt hæc uerba, ubi ſpatium in noſtris libris eſt, amplius LXXX. uerſus deſiderantur.

357.

CVM ignis oculorum cum eo igne, qui eſt ob os offuſus, ſe confudit, & contulit] Non nihil deeſt: nam in Platone ſic. τοῦ περὶ τὸ πρόσωπον πυρὸς, τοῦ περὶ τὴν ὄψιν πυρὶ, περὶ τὸ λεῖον καὶ λαμπρὸν ξυμπαγεῖ γιγνομένου.

357.

ADIVVANTIA cauſarum] Lego, Adiumenta cauſarum, & ex Maffei libro, & ex Platonis uerbo: quod enim ille dixit, ξυναίτια; rectè uertit Cicero, adiumenta cauſarum.

IN PRIMA CICERONIS PHILOSOPHIAE PARTE, VBI ERRATUM eſt, aut aliquid prætermiſſum, Lector ita corrigat & reſtituat.

Primus numerus paginam, ſecundus uerſum indicat.

Dicturos: ſed ad ea. pagina, 16. uerſu 4
cum commouebantur 46. 7
definitio, effatum 49. 6
quem iſti tardum 50. 3
domum reduxerunt 77.19
conſentiens, quid repugnans 81. 4
præbens, ea quæ effi. 82. 27
Pomponium. Zeno igitur nullo modo 86. 16
uirtutis incideret 86.18
arbitrarentur, hic nec id ullo modo fieri poſſe diſſerebat, nec uirtutis uſum modo, ut ſuperiores, ſed ipſum habitum 87.7
qua quidq; 87.23
uſum appellemus licet. 88.1
dixiſſe: breuiter 89.3
quicquam eſſe 89.31
omnis, cohorsq́; 94.20
hic docendi 94.24
expetendis, quid fug. 95.15
expoſitã, ut ab ipſis, qui, 96.1
extremum ſit, ita ferri. 97.11
delectus, ut aut reijciend. 103.23
ad eam non poſſim. 103.26
ne ſtatuã qdẽ dicturã. 105.25
laudabiles eò referri 107.1
concordia quadam. 108.22
à ſe ipſe diſſidens, ſecũq; 113.1
neq; uerò ipſam 116.18
ſed inuidioſum nomẽ 122.28
nõ ut nos nõ intellig. 124.20
Ariſtoteles, qui uirtutis uſura 126.10
illi perpetienti. 144.23
maioribus tuis, & 147.28
beatæ uitæ domina 153.1
Epicurus comparet ſe, ſi poteſt 155.28
debilitari, dolore frãgi 156.7
perceptarum 157.14
obruentur 160.5

haberes, ad corpus diceres
pertinere) ſed 160.31
neq; afferre, quo mel. 169.27
gloriam, ut ob ea, 176.17
quoſdam, qui quamuis 181.5
Diogenes cenſet 184.15
promota, uel, ut 185.30
dignitatem(id enim 185.25
dicitur, cōmuni officio 188.9
Cyro extructum 194.15
ain tandem 195.2
neceſſe eſt, earum 105.4
uitarum nobis 210.31
initia proponi neceſſe 213.6
profecta, uti iiſdem 4.q.ille
uterentur 213.3
cures, at modo 223.9
auditor Polemo 227.16
et ī anellis(ex Nonio 228.4
non continentur? 257.20
præter eos, qui eandē 271.23
nam iſtud ipſum 274.5
etiam dicimus uiuere 291.5
incluſas cognoſcere. 291.28
cæra animū putamus 292.27
deum non uides, 296.20
ſomno ſuſpenſam. 311.19
ultra id 320.8
dolore deuictus 341.25
feruntur, quorum ita 346.29
inſipientibus omnibus contin
git: his nulla 246.39
utiles. at illud latius: eſt enim
omnis abſtin. 253.2
ſecūdæ res ſunt maximè, tum
maximè Meditari 358.3
appetas, qui mortalis 360.26
dixi fore, ut 362.14
ita eſſe dies 366.23
aſpectæ parietinæ quā 367.2
læſiſſe iniuria. Excand. 388.5
bilis, ī corpore morbi 388.24
inueterauerit, 389.8
nam pertinet 390.22
ſimilibus quoq; uerb. 392.7
at ſine hac glad. 399.1
cōtrariarūq; perferendarū,
aut omnino negl. 400.28
timore. Quamuis licet inſe-
ctemur. 401.5
naturale, quod 403.14
miſeranti, alia inuidēti 404.2
illud non uideatur 404.7
ſic nimis elati 407.17
ſapere, quē ſanari, 408.16
eſt, ut ei illud quod cupiat
oſtendatur 410.13
eſt etiam illud 411.3
ſibi uitia ineſſe, 412.16
quæ ſtabilitatis aliquid 444.
30
uti p.h. cuicuimodi 456.14

ERRA

ERRATA, AVT PRAETER- *miſſa in ſecunda philoſophiæ parte.*

Solum indocti, ſed etiam docti pagina, 9. uerſu 4

tam autoritatis 10. 26

nihil eſſet, niſi animus 17.9

niſi Cheſippum 39. 11

talem conformationē 43.13

itaq; Claudius 52.14

nobilitatis, auguriorū 52.25

recedunt: tū antecedūt, 67.31

enim cœlo 73.5

ea eſt enim, 73. 23

reſpergit: reflat: Ita 81.24

eſſe poſſemus, 104.30

non ſit 118.1

diuina dicimus, 119.7

numeras deos, eosq; 124.18

genealogis 126.7

Aegyptij Saitæ 131.22

ut mēs, ut ſpes, ut fides 132.8

cur quidq; ita appellatum ſit, 132.30

malæ fortunæ 133.6

mihi tradidit 134.6

cum, aut machinam 37.2

perſequi, iidem 144.28

docti probauerunt 147.27

equidem noui 150.14

Plato ſic ad ſomnum 171.9

educarentur q; 177.4

ergo: & non, ſi ſign. 178.30

Poſidonius facit, 194.7

proditis, dum 211.30

faucibus rußis, cantu 219

Audiui. Hic apud maio. 225.9

omittamus 230.31

dormire. Iam Pythag. 243.2

abſtinere 243.6

quod abhorret 134

iſta caſu non 250.21

ullo ſomnio 251.2

iſta enim aui uolat 252.4

quàm ſolebat 255.26

ponere aliquid 256.16

illo naufrago 256.28

oēs à phyſicis irrid. 264.22

uellet ſine præpoſitis 270.7

putat 271.2

tamen iſti 156

ſcriptum eſt à te de. 278.12

nomine à ſuum 279.27

ſeculis cōpluribus ante 280.7

haberentur? nihilo. 288.14

pietas, ubi aut bene 288.28

etiam iuſtitia 290.25

Ain tandem,	292.30	*perfectis abſolueret,*	347.15
fratris mei germ.	297.27	*eſt autem unus ex omnibus*	350.23
publici iuris eſſent,	309.19	*uidebantur: omneis enim orbes e. q. facilitatis * inflexione uertebat*	352.3
digniſsima autem dona aues ſunt & formæ.	315.18	*celeraret: alterum, quod in anticam partem*	353.15
ius cohærendi dato	327.29	*deos concurſiones*	353.26
irroganto: de capite	328.12	*labuntur, quibuſq;*	253.30
qui eo non ten.	330.9	*principatum, uobiſq;*	355.11
cùm uideret eorũ	335.24	*dimenſæ, &*	358.24
Conſule de C. Carbonis ſeditione	339.27		
ſequitur de captis	340.29		

PAVLVS MANVTIVS ALDI F. LITERARVM STVDIOSIS S. P. D.

SAnè, quod ego in rem ueſtram nauare poſsim, quàm exiguum ſit, intelligo. Sed quod poſſum, in eo non committam ut meum ſtudium, aut diligentiam deſideretis. Loci erant obſcuriores multi in familiaribus (ut appellantur) Ciceronis epiſtolis: eos, quantum in nobis fuit, dedimus operam ut interpretationibus quàm potuit breuiſsimis illuſtraremus. Erant item deprauati, quos emendare conati ſumus. quid præſtiterim, ignoro: uos legendo iudicabitis. Vt ut autem iudicabitis, gratiam tamen ab ijs, qui grati ſunt, opinor aliquam inibo: quoniam quidem mihi ueſtræ utilitatis cupidiſsimo non aggrediendi uoluntas defuerit, ſed perficiendi facultas. Valete.

PAVL

PAVLI MANVTII

SCHOLIA IN FAMILIARES CICERONIS EPISTOLAS.

Ex Epiſtola I. Libri I.

QVOD *commodo* Reipub. *facere poßis*] *Olim ita caſtigauimus, cum aliter in omnibus impreßis legeretur. Sunt autem uerba, quibus ueteres utebantur, ut id, quod faciendum decernerent, ita demum fieri uelle oſtenderent, ſi modo* Reip. *commodo fieri poſſet.* Cæſar *lib.* I. Comm. Quoniam M. Meſſala, M. Piſone Coss. Sena*tus cenſuiſſet, uti quicunq; Galliam prouinciam obtineret, quod commodo* Reip. *facere poſſet,* Heduos *cæterosq́; amicos populi* Rom. *defenderet, ſe* Heduorum *iniurias non neglecturum.* Et *lib.* v. *ſcribit* Labieno, *ſi* Reip. *commodo facere poſſet, cum legione ad fines* Neruiorum *ueniat.* Item *lib.* VI. Labienum, Treboniumq́;, *ſi* Reip. *commodo facere poßint, ad eam diem reuertantur.* Cicero *item ab* Brutum, *epiſtola* v. Decreui *hoc amplius, ut tu, ſi arbitrarere utile fore, & è* Rep. *eſſe, perſequerere* Dolabellam *bello: ſi minus id commodo* Reip. *facere poſſes, in iiſdem locis exercitum contineres.* Ad Appium *autem epiſtola* VII. *lib.* III. Quod, *inquit, tuo commodo fieri poßit, utriuſq; noſtrum magni intereſt, prius ut te conueniam, quàm decedas.* Et *libro* XIII. *ſimili ſententia dixit, quod ſine moleſtia tua facere poßis.* Ad Atticum *autē epiſtola* III. *lib.* I. *quod commodo tuo facere poteris, uenias ad id tempus.* Itemq́; *alibi ſæpius, quod tuo commodo fiat, quod ſine peccato meo fiat.*

quibus ex locis, ueterem hanc, atq; uſitatam fuiſſe locutionem, cognoſcere quiuis poteſt. tot autem exemplis, manifeſta præſertim in re, non eſſem uſus, niſi fuiſſe uiderem qui noſtram lectionem parum ueram exiſtimantes, legi mallent, quod commodè rem facere poßis.

Lib. I. Epiſtola 2.

LENTVLI *Cos.*] *In libris quibuſdam manuſcriptis legitur,* Lucij Cos. *non omnino abſurdè: poteſt enim intelligi de L. Philippo Lentuli Marcellini in Conſulatu collega.*

Eadem Epiſtola.

QVATENVS *de religione dicebat*] *Senſus hic eſt, cum Bibulus ſententia ſua duas res complexus eſſet, de religione, & de tribus legatis: poſtulatum eſt, ut eius ſententia diuideretur: ideſt ut ſingulis de rebus ſeparatim referretur. ac de religione quatenus dixit, ut ſcilicet ne contra Sibyllinos libros decernerctur, qui Regem Aegyptium cum exercitu reduci uetarent: aſſenſum (inquit) eſt. caput illud, de tribus legatis, qui Regem reducerent, improbatum. dixit autem, frequentes ierunt in alia omnia, pro frequentes diſſenſerunt. neque ſolum, ire in alia omnia, ſed & diſcedere, & tranſire, eodem ſenſu ueteres dicebant. libro* X. *ad Plancum. Cùm (inquit) ſenatus reliquit, & in alia omnia diſceßit. Hircius autem prope finem* VIII. *de bello Gallico libri, Diſceßionem (ait) faciente Marcello, ſenatus frequens in alia omnia tranſijt. ſunt autem uerba, quibus, cum diſceßio facienda eſſet, miniſter publicus præibat, cum ita diceret. Qui hæc ſentitis, ite in hanc partem: qui alia omnia, in illam. & in alia omnia potius, quàm in contraria, dicebat ominis cauſa. Feſtus Pomp. in dictione Ques. inde factum, ut, ire in alia omnia, idem ſignificet, quod contra ſentire.*

Eadem

Eadem Epiſtola.

MVLTIS *partibus plures*] *Sunt qui ita exponant, vidiſſe Conſules in* Hortenſij *ſententiam plures ituros à multis partibus,id eſt hinc,& illinc, parum ſcilicet agnoſcentes puriſsimam,& ornatiſsimam locutionem,qua eloquentiſsimi eius ætatis uiri ſuis in ſcriptis eleganter uſi ſunt.* M.Cælius *libro harum epiſtolarum* VIII.*Turpe tibi erit,* Patiſchum Curioni *decē* Pantheras *miſiſſe, te non multis partibus plures.*Item *Cæſar:Quoniam numero multis partibus eſſet inferior. Multis partibus plures, & multis partibus inferior. dixerunt,pro eo quod eſt,multò plures, & multò inferior.* Cicero *item lib.* III. *de finibus,multis partibus malit, pro multò malit.Suetonius quoque non malus* Latinitatis *autor, in Iulij uita eodem loquendi modo uſus eſt.*

Libro I. Epiſtola 3.

T. AMPIVS] *Antea,* T. Appius, *corruptè legebatur: duo enim prænomina ſimul eſſe non poſſunt, ut ſi dicas, Marcus Caius, aut Cneus* Lucius. *Ampiorum autem familiam* Romæ *fuiſſe,notiſsimum eſt.*

Libro I. Epiſtola 4.

PRIDIE *eius dici ſ. d. t. l. ſ.*] Dicit quod *ſuprà in* Epiſtola II.*in qua ita ſcripſit: De tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia. ſed cum ibi factum id eſſe dicat die, qui conſecutus eſt* Idus Ian. *hic autem die, qui* XVI. Cal.Febr. *præceſsit: fuere, qui, dum arbitrantur* Ianuario *menſi, ut nunc,ita tum alterum &* XXX. *fuiſſe dies, corruptum eſſe locum crederent,uidentes hanc diem, ut quidem ipſi numerabant, aliam eſſe ab ea, quæ eſt in epiſtola* II.*cum tamen eandem eſſe oporteret, quòd abſq; dubio locus hic alter de tribus legatis repetitio prioris eſſet. Quòd ſi ad rationem eius anni,quo ſcripta eſt epiſtola,ſupputaſſent: & locum carere*

d 5

rere mendo, & eandem, quàm in II. *epiſtola diem ſignificari, cognouiſſent: fuit enim tunc* Ianuarius *menſis tantummodo* XXIX. *dierum. poſtea* Iulius Cæſar *annum corrigens, binos addidit, &, ut tricenos ſingulos haberet, qui antea tantummodo* XXIX. *habuerat, efficit. autor* Macrobius.

Eadem Epiſtola.

Ego tibi à ui] *Timebat, ne* Tribunus *aliquis per uim legem ferret, qua* Ptolemæi Regis *reſtitutionem* Lentulo *eriperet. epiſtola* II. *libri* II. *ad* Q. *fratrem eadem de reſcribens,* Quid futurum ſit, *inquit,* latrocinio Tribunorum, non diuino: ſed tamen ſuſpicor per uim rogationem Caninium perlaturum.

Libro I. Epiſtola 5.

HIC *quæ agantur*] *Aut hoc eſt alterius epiſtolæ initium: aut quæ ſequuntur, non eodem die ſcripta ſunt, quo ſuperior epiſtolæ pars. ſæpe autem accidit, ut literas non continua, ſed crebro repetita ſcriptione conficiamus, ſingulis diebus noui aliquid appingentes: id quod in epiſtolis ad* Atticum *ſcriptis ſæpiſſimè factum uidemus.*

Libro I. Epiſtola 9.

NON *modo præmijs*] *Ita legendum eſt, & ita in codicibus uetuſtiſſimis habetur. ſed cùm locutio primo intuitu durior uideatur, hinc factum eſt, ut ueterem lectionem hactenus omnes contempſerint, quam nos eo libentius reſtituimus, quòd ea* Ciceronem *alibi quoque non ſemel uſum eſſe animaduertimus: epiſtola enim* VI. *libri* X. *ad* Atticum, Regnum (inquit) non modo Romano homini, ſed ne Perſæ quidem cuiquam tolerabile. *& ad eundem ſcribens,* Mihi non modo iraſci grauiſſima iniuria accepta, ſed ne dolere quidem impunè licet. *libro autem de* Oratore I. Neque ſolum inſcientiam meam, ſed ne rerũ quidem magnitudinem perſpicit.

ſpicit. harum autem epiſtolarum lib. I X. Hoc *tamen ſcito, non modo me, ſed ne ipſum quidem principem ſcire, quid futurum ſit. quanquam hic quoq; inculcata erat dictio, non: quæ in libris manuſcriptis non eſt.*

Eadem Epiſtola.

BONORVM *omnium conſenſio*] *Antea, conſenſus. nos, conſenſio, reſtituimus ex ueterum librorum fide. alij, uetuſtos omnes libros, conſenſus, habere ſcripſerunt. quod aliter eſſe deprehendimus.*

Eadem Epiſtola.

SI IIS *pro me ſtante pugnare licuiſſet*] Septimum *abhinc annum, cum hos epiſtolarum libros, quàm deligentiſſimè tum potuit, caſtigaremus, hunc locum ita, ut legitur, ex codicibus manuſcriptis emendauimus, cum antea corruptus eſſet, ut bonus ſenſus elici nullus poſſet.*

Epiſtola eadem.

PRIMVM *illa furta*] Præter *hiſtoriæ fidem: neq; enim illa furta muliebrium religionum* Ciceronis *exilium ſunt conſecuta. itaq;* Vbaldinus Bandinellus, *optimus non iudicandi modo, ſed etiam dicendi magiſter, qui in his* Ciceronis *ſcriptis loca ſanè multa feliciſſimè reſtituit, iampridem arbitratus eſt legendum, illa furia. nos etſi coniecturam doctiſſimi hominis ita probemus, ut nihil acutius, aut etiam uerius excogitari poſſe credamus: quoniam tamen in omnibus manuſcriptis libris, illa furta, legimus, ueterem lectionem immutare non ſumus auſi.*

Epiſtola eadem.

CVMQ́VE *eum nec perſuadendo, nec cogendo regi poſſe uidiſſet*] *Libentius ita legerem, Cumq́; eum non perſuadendo, ſed cogendo r. p. u. infert enim, cum perſuaderi poſſe diffideret, cogi fas eſſe non arbitraretur. quoniam*

autem

autem manuſcripta exemplaria cum lectione, quæ impreſſa eſt, omnia conſentiunt: nihil immutaui: tantum ſententiam meam teſtatam eſſe uolui: ut ij, qui uetuſtiores codices nacti fuerint, hunc locum ne contemnant, ſed uariam lectionem, ſiqua fuerit, diligenter expendant.

Epiſtola eadem.

PAR *pro pari*] *Antea, cùm legeretur, par pari, uerſus erat mancus, qui nunc integer eſt, addita à nobis ſyllaba pro, ex uetuſtiſſimo codice* Pauli Boti Regienſis, *hominis tum religioſi, tum etiam literati. itaq; etiam in* Terentio *uerſus eſt reſtituendus.*

Epiſtola eadem.

LIBERALITATEM] *Alij, libertatem. ego nihil muto. uidi enim codicem perantiquum, quem habet adoleſcens nobilis & literatus* Bernardinus Maffeus, *in quo liberalitatem ſcriptum erat. quam uocem eo libentius conſeruaui, quòd ſubijcit paulò pòſt, cum ſine ſuſpicione tuæ cupiditatis non poſsis illius cupiditatem refutare: quòd enim dixerat, liberalitatem, antitheton oppoſuit, ſuſpicione cupiditatis.*

Eadem Epiſtola.

FACILITATE *autem, quod uellem*] Alij *aliter legunt. mihi, quæ lectio in noſtris libris eſt, magis probatur: nam & ſenſum, ut opinor, habet meliorem: & in uetuſtis aliquot codicibus ita ſcriptum animaduertimus.*

Libro I. Epiſtola ultima.

CVR *enim tibi hoc non gratificer, neſcio*] *Senſus horum uerborum ex titulo pendet: cùm enim ita inſcripſit,* VALERIO IVRISCONSVLTO, *ſubiunxit, nam cur te iuriſconſultum non appellem, neſcio, etiam ſi iuriſconſultus ualde non ſis, iocans uidelicet cum eo familiarius, quod etiam in reliqua epiſtola facit. & libro tertio ad* Appium *ſcribens,*

L. Val

L. Valerium, inquit, iuriſconſultum ualde tibi commendo, ſed ita etiam, ſi non eſt iuriſconſultus. quoniam autem ſunt, qui huius epiſtolæ initium deſiderari potius, quàm eſſe hoc, quod legitur, exiſtiment: aliud huic ſimile Ciceronis exemplum ex epiſtolis ad Atticum ſcriptis afferemus. ita igitur libro III. M. T. C. S. D. Q. CAECILIO Q. F. POMPONIANO ATTICO. *Quòd quidem ita eſſe, & auunculum tuum functum eſſe officio, uehementiſſimè probo. quorum uerborum ſenſum hic quoq; ex titulo regi, nemini eſt obſcurum: dicit enim ſe probare ita eſſe, id eſt, eum ab auunculo adoptatum, & hæredem factum, appellari non, ut antea, T. Pomponium Atticum, ſed (ut in adoptionibus fieri ſolebat, in quibus eius, qui adoptabat, & prænomen, & nomen, & cognomen, & aliquando etiam agnomen ij, qui adoptabantur, ſumebant, nomen, quod ante habuerant, deriuantes, ut in anum deſineret: cognomen tamen ſuum, ut antea fuerat, retinebant: ſed poſt eius cognomen ponebant, qui adoptarat, ſi modo id ille habuiſſet) Q. Cæcilium Q. F. Pomponianum Atticum: ut nemo iam de epiſtola ad Valerium dubitare poſſit.*

Eadem Epiſtola.

PARTIM *te ſuperbum eſſe dicunt, quòd nihil reſpondeas, partim cõtumelioſum, quòd male reſpondeas*] *locus eſt in his uerbis & abſtruſus, et elegans: uult enim innuere, ideo nihil eum reſpondere, non quòd ſuperbus ſit, ſed quòd aut eum nemo cõſulat, cum homines bonum iuriſconſultum non exiſtiment: aut ſi quis conſulat, nullum auferat reſponſum ob eius ignorantiam: ideo autem male reſpondere, non quòd contumelioſus, ſed quòd imperitus, & indoctus.*

Libro 2. *Epiſtola* 1.

QVODQVE *in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna*

tuna reſpondet: breue eſt, quòd me tibi præcipere meus in te amor cogit] Hic locus antea perperam interpunctus diſtrahebat ſenſum: quem nos, diſtinctionibus immutatis, tanquam in ſuam ſedem reduximus, eſt autem hic. quod me facere meus in te amor cogit, ut tibi præcipiam: id faciam breuiter, quando omnibus tuis in rebus meis optatis fortuna reſpondet.

Libro 2. Epiſtola 5.

IN SVFFRAGIIS *ſtudia*] Dictionem, ſtudia, ſuſtulimus: ſuprà enim dixit, ſtudium: è qua uoce ſequentes genitiui reguntur.

Libro 2. Epiſtola 9.

DE TE, *quia, quòd ſperabam: de Hillo, (balbus enim ſum) quòd non putaram*] In epiſtola, quæ tertia eſt VIII. libri. Cælius de Hirro competitore loquens ita ſcripſerat. *ſpero te celeriter auditurum & de nobis, quod ſperaſti: & de illo, quòd uix ſperare auſus es.* itaq; Cicero reſpondens, iiſdem ferè uerbis eadem repetit: & quia Cælius ſcripſerat, de nobis, quod ſperaſti: de illo, quod uix ſperare auſus es: reſcribit: de te, quia, quod ſperabam: de Hillo, (balbus enim ſum) quod non putaram. facetè autem, cum repeteret uocem illam Cælij, illo, aſpirationem addidit, & ſubiunxit (balbus enim ſum) Hirrum ſignificans, cuius nomen propter balbutiem exprimi à ſe non poſſe fingit. in ſequentibus autem cum, r, literam expeditè proferat, ſed balbi, inquit, non ſumus.

Eadem Epiſtola.

DIVISVS *aquarum diuortijs*] pleroſq; latet huius loci ſenſus. & uidi doctos alioqui uiros, qui ſic interpretarentur: fuiſſe fluuium, qui montem Amanum interfluens diuideret, & Ciceroni, ac Bibulo communem faceret: cum dixerit

Cicero,

Cicero, nō, diuiſus fluuio, aut diuiſus aquis, ſed, diuiſus aquarum diuortijs. quā illi uocē parum diligēter expēderant. diuortium aūt aquarū ita fit. cadunt in montē aquæ pluuiæ. is mons cū ſit procliuis, utrinq; defluant, & decurrāt, neceſſe eſt. Ita fit, ut diuidātur, & earū quaſi diuortiū fiat. itaq; dixit de Oratore *libro* I. *ut ex Apēnino fluminum, ſic ex communi ſapientium iugo ſunt doctrinarum facta diuortia. Ad Atticum autem idem ſcribit, quod ad Cælium: inquit enim libro* V. *ad Amanum contendi, qui Syriam à Cilicia aquarum diuortio diuidit. Liuius etiam libro* XXXVIII. *ubi loquitur de Cn. Manlio, propè, inquit, ipſis iugis ad aquarum diuortia caſtra poſuiſſe: id eſt, ad eum locum, unde aquæ duas in partes diuiſæ incipiunt defluere. à quo igitur loco ex Amano monte Ciliciam uerſus aquæ delabebantur, ad eum uſque locum Cilicia pertinebat. & ex altera montis parte, eadem Syriæ, quam Bibulus regebat, erat ratio. terminum enim habebat eum locum, unde in eam ex Amano defluere aquæ incipiebant.*

Libro 2. *Epiſtola* 11.

QVINQVATRVS] *Dictum opinor nominandi potius, quàm (ut Florentini crediderunt) generandi caſu: nam hanc uocem tantum multitudinis numero memini me legiſſe. fortè etiam legi poßit, quinquatribus: ut intelligatur dies, quo geſtæ ſunt res, non quo allatæ: cum inferat, citeriora nondum audiebamus. nam in libro manuſcripto, quem habet uir doctißimus* Hieronymus Ferrarius *Corrigienſis, legitur, quinquat. ut etiam pro gladiatoribus, gladiat. uetuſtis in codicibus quandoque ſcriptum uideas.*

Libro 2. *Epiſtola* 15.

EXEMPLO] *Antea, exemplum. nos ex uetuſtis libris, exemplo, ſextū abhinc annum correximus & impreßimus.*

Eadem

Eadem Epiſtola.

PONTINVS] *Nam is quidem ſuperiore honore uſus erat: fuerat enim Prætor Cicerone Cos. itaq; dixit ad Atticum epiſtola* III. *lib.* VI. *Fratrem ſolum habeo Prætorium: Pontinus enim iam à me diſceſſerat.*

Ibidem.

QVI OMNEIS *Caßios, Antoniosq́; complexi ſunt*] *Alij, pro omneis, legunt iuuenes. quam uocem nullis in libris manuſcriptis reperio. nos ueterem lectionem conſeruamus. cuius hic eſt ſenſus, Cælium Quæſtorem præpoſui prouinciæ, non tam ipſius quidem cauſa, quàm ut reliquorum eiuſdem familiæ gratiam inirem, exemplo s. Pompeij, & Cæſaris, qui cum, alter Q. Caßium Longinum, alter M. Antonium, delegiſſent, uniuerſam Caßiorum, & Antoniorum gentem ſibi adiunxerunt.*

Ibidem.

DE MATRINIO] *Locus eſt obſcurus: cuiuſmodi in ipſius Ciceronis ſcriptis alij quoq; ſunt. quare etſi ſenſum non percipio, tamen ueterem lectionem libenter conſeruo. omnino & codices ſunt, in quibus legitur, De matrimonio: ſed uetuſtiores habent, De Matrinio. quæ uox quid ſibi uellet, cum minus conſtaret: fuiſſe opinor qui Matrinio delerint, & matrimonio ex ingenio repoſuerint. fortè autem, cum ad Cælium Aedilem ſcribat, de Matrinio ſcriba Aedilitio, cuius meminit in oratione pro Cluentio, quidpiam ſignificauit. ſed nihil affirmo.*

Libro 2. Epiſtola 16.

NON ENIM *te cœlaui ſermonem. ſed non'ne tum prouidiſti*] *Sic antea. poſtea alij aliter emendarunt. ego, cum in uetere libro ſcriptum uiderem, non enim te cœlaui ſed nomen tuum prouidiſti: caſtigaui. non enim te cœlaui. ſed non*

ſed non'ne tum prouidiſti,&c.

Eadem Epiſtola.

SED EGO *fortaſſe uaticinor*] Non eſt hic uaticinor pro diuino, ſed pro ariolor, & quaſi deliro, ut etiã in oratione pro Seſtio, uaticinari eos atq; inſanire dicebat.

Libro 3. Epiſtola 3.

PRO *noſtra conſtantiſſima uoluntate erga te*] Nihil muto. alij, cur Ciceronis in Appium uoluntas appellari conſtantiſſima poſſet, dicunt ſe neſcire, cum ea magnis ſimultatibus interrupta ſit. Cicero autem id agit, ut oſtendat, etſi Appij conſuetudine propter inimicitias P. Clodij non ſit uſus, nunquam tamen ei ſe fuiſſe inimicum, neq; ſuam in illum priſtinam uoluntatem unquam fuiſſe immutatam. Epiſtola etiam huius libri I X. ita ſcribit, Conſcientia meæ conſtantis erga te uoluntatis. Itaq; de noſtra lectione non arbitror eſſe dubitandum.

Eadem Epiſtola.

C. PONTINUM *legatum*] Ciceronis Ciliciæ Procos. Quæſtores fuere L. Meſcinius, C. Cælius: Legati Q. Cicero eius frater, C. Pontinus, M. Anneius, L. Tullius: Tribunus mil. Q. Fuffidius: præfectus euocatorũ Antonius: præfectus fabrum Q. Lepta: ſcriba M. Tullius: accenſus Pauſanias: apparitor M. Marcilius. de Quæſtoribus, legitur ĩ his epiſtolis de Legatis, de Tribuno mil. de præfecto euocatorũ, de præfecto fabrũ, de ſcriba. Et ad Attic. de accẽſo, de apparitore.

Lib. 3. Epiſtola 8.

CUM *ad urbem eſſes*] Antea, iſſes. nos eſſes, caſtigauimus ex libris manuſcriptis, & ex alijs ipſius Ciceronis locis: inquit enim ad eundem Appium ſcribens: Ad Vrbem te otioſiſſimum eſſe arbitrabar. Et ad Atticum lib. V I I. Trebatius quidem ſcripſit, ſe ab illo I X. Cal. Febr. rogatum

eſſe,ut ſcriberet ad me,ut eſſem ad urbem. Et *alibi.diceba-tur autem de ijs,qui cum poteſtate prouinciali reuerſi, aut in prouinciam profecti nondum eſſent.autor* Pedianus.

Libro 3. Epiſtola 10.

SI CLAM, *magis apertè inimicus eſſe*] *Cùm anteà legeretur, ſic iam magis apertè inimicus eſſem:Petrus* Da*neſius* Pariſienſis,*uir doctrinæ ſingularis,cuius ego iudicium tanti facio,ut tum demum aliquid probem, cum ipſi proba-ui,animaduertit corruptum eſſe locum,& ſententiam ſecu-tus, nihil adiuuantibus uetuſtis libris, ex ingenio fœliciſſi-mè correxit.*

Eadem Epiſtola.

AD ME *autem adire quoſdam memini, nimirum ex* Epicteto, *qui dicerent*] Licet *alij credant quod lubet,* Ego *tres illas dictiones,nimirum ex* Epicteto,Ciceronis *eſſe non exiſtimo,neq; hactenus in uetuſtis codicibus inueni: ut mi-rari non ſatis poſſim,* Florentinis *qui uenerit in mentem affirmare,in omnibus eas eſſe libris manuſcriptis:cum ego in nullis hactenus quidem legerim: quanquam & multos, & uetuſtiſſimos habuerim.*

Eadem Epiſtola.

QVAE *à me perfecta,quæq; inſtituta ſint,cognoſce*] Flo*rentini,quæ à me profecta.nos ueterem lectionem conſerua-mus:dicit enim,exponere ſe uelle non ſolum quæ pro* Appio *iam perfecerit, ſed etiam quæ inſtituerit.* Expoſuit *autem, opinor,in commentario,quem literis adſcriptum mittebat.*

Libro 3. Epiſtola 12.

ANTE *diem* III. Non. *Sext.*]*Perinde eſt,ac ſi dixiſſet,* III. Non. *Sext. id ex libri* XVI. Epiſtola v. *ad* Tironem *intelligi facilè poteſt.ante diem* III. Non.*ueteres dicebant, ideſt die tertio ante* Nonas.*nam cùm dicitur,*III.Non.*con-*

ciſa

ciſa locutio eſt, quæ integra eſſet, ſi diceres, III. *die ante* Non. *qua non admodum utebantur antiqui, ſed eius loco, ante diem* III. Non.

Libro 4. Epiſtola 5.

AN *illius uicem (credo) doles?*] Forte melior lectio, *At illius uicem c. d. ut per ironiam ſine interrogatione dicta ſint.*

Libro 4. Epiſtola 9.

CONIVNCTVM *eſſe periculum ſuo cerneret*] *Alij hanc lectionem uidentur ſuſpectam habuiſſe. nos eam in uetuſto codice* Ioannis *Scalæ, & in alijs manuſcriptis libris inuenimus.*

Lib. 4. Epiſtola 12.

BONIS] *Nobis, emendaſſem, ut* Hieronymo Ferrario *placet, niſi uetuſti omnes codices repugnarent.*

Lib. 4. Epiſtola 13.

CERTA *res nulla*] *Scripſimus, ulla, ut in antiquioribus libris legitur. locutionem eſſe uſitatam intelliget qui uiderit ea, quæ diximus in illum epiſtolæ penultimæ libri* 1. *locum,* Non *modo præmijs.*

Eadem Epiſtola.

VT TE *horter, & obſecrem*] *Nihil muto: ſic enim in* VIII. *uetuſtiſsimis exemplaribus ſcriptum eſſe uideo.* Florentinorum *tamen lectionem non improbo: etſi eam in libris manuſcriptis ipſe quidem nondum inueni.*

Libro 5. Epiſtola 2.

MVTIA] *Pompei magni uxore, Scæuolæ filia, quam poſtea dimiſſam, quòd adulterium cum Cæſare commiſiſſet,* M. *Scaurus Syllæ priuignus in matrimonium duxit.* Pedianus *69. Suetonius 14.*

Eadem Epiſtola.

TE *audiſſe credo*] *Ita legitur in octo uetuſtis codicibus. hoc autem ideo dicimus, nequis credat ex ingenio ſic eſſe locum emendatum, propterea quòd alij in duobus, quos ipſi habuerint, uetuſtis libris aliter legi dixerint.*

Epiſtola eadem.

IN ALIQVO *magiſtratu*] *Vetuſtiores codices habent, in animo: ex quo legendum eſſe, minimo, exiſtimat* Vbaldinus Bandinellus: *quam & nos ueram huius loci lectionem eſſe credimus. more enim ſuo contrarijs contraria reddidit, cum dixit,* Ego Conſul, *qui* Remp. *conſeruaram, ea ſum affectus iniuria, qua minimo magiſtratu nemo unquam improbiſſimus ciuis.*

Libro 5. Epiſtola 9.

CVN VARDAEIS] *Antea,* Vardacis, *legebatur. nos in libris manuſcriptis, lectionem, quam impreſſimus, inuenimus, neq; de ea dubitandum quicquam cenſuimus, cum à* Plinio Vardæos *inter* Dalmatiæ *populos, in qua* Vatinius *bellum gerebat, numeratos uideremus.*

Libro 5. Epiſtola 12.

IGNOTIS *nota faciebant*] *Ignotis pro ijs, qui non nouerant, actiuè poſuit, ut etiam* Liuius *lib.* III. *notos gratia eorum, turbam indignitas rei uirgini conciliat. &* Curtius: Ignoti iumenta agebant. Plautus *autem in* Pſeudolo, Noui: *notis prædicas. notis, dixit, id eſt ijs qui nouerant. itemq;* Cicero *in oratione pro* M. Cælio.

Lib. 5. Epiſtola 13.

ITAQVE *hoc etiam*] Atq; *hoc etiam, legendum putat* Hieronymus Ferrarius, *ſenſu omnino meliore tamen nihil immutandum duxi, cum libri omnes manuſcripti cum impreſſis conſentiant.*

Libro

Libro 5. Epiſtola 14.

QVAM *à me diſceſſeras*] Vetuſtos codices, *quibus ego nunc multis ad harum epiſtolarũ emendationẽ utor, ita, ut impreßimus, hábere uidi. itaq; aliorũ lectionem non ſequor.*

Libro 5. Epiſtola 19.

M. CICERO RVFO S. D.] *Aut mendoſus eſt huius, & ſequentis epiſtolæ titulus, & pro* Ruſo, *legendum*, Meſcinio: *aut* Rufus Meſcinio *cognomen fuit.* Meſcinius *quidem hic ſit, neceſſe eſt: cuius fratrem fuiſſe* M. Mindium, *ſcribit lib.* XIII. *quem epiſtola ſequenti ad eundem hunc* R*ufum ſcribens fratrem eius eſſe dicit.*

Eadem Epiſtola.

QVARE *tu*] Ita *in omnibus impreßis: ſed in omnibus manuſcriptis*, Quæ tu. *docti locum diligentius conſiderent. ego, hoc adnotare, mei officij eſſe duxi.*

Libro 5. Epiſtola penultima.

M. TVLLIVS *ſcriba meus*] Hic *eſt* M. Tullius *cognomento* Laurea, *Ciceronis libertus, qui Academiam uillam uerſibus, quos recitat* Plinius *libro* XXXI. *celebrauit.*

Eadem Epiſtola.

QVAM *ſcribæ meo*] Vetuſti *codices habent, quàm darem. unus tamen eſt, & is quidem omnium ferè optimus, in quo ſcriptum ſit, quàm tibi. ego ita conijcio, cùm olim in uetere libro ſcriptum eſſet, quàm* Tullio, *deſcriptores feciſſe, quàm t. ut una litera, quemadmodum etiam in titulis epiſtolarum*, Tullij *nomen ſignificaret. quod imperitiores poſteà cum ignorarent, ſcripſiſſe, quàm tibi. ut fortaſſe ita ſit legendum, cui potius id negotij, quàm* Tullio *darem. uoces illæ certè, ſcribæ meo, uetuſtis in libris non leguntur.*

Eadem Epiſtola.

LEGATVM *meum, præfectumq;* Q. Leptam] Induxi

has duas dictiones, Q. Leptam: primùm quòd in antiquo libro non ſunt: deinde, quòd Ciceronem, ſi præfecti nomen ponere uoluiſſet, legati fuiſſe omiſſurum, uériſimile non eſt. poſtremò cur nomen ponat, cùm ad Meſcinium Quæſtorem ſuum ſcribat, qui & præfectum, & alios, qui cum Cicerone in Cilicia fuiſſent, optimè nouerat?

Eadem Epiſtola.

VT TVA, *quam tu depoſueras, Seſtius.*] *Hæc eſt antiquiſſimi libri lectio, ex qua nihil immutandum, ut* Florentini *crediderunt. eſt autem ſenſus. quam ego pecuniam depoſui,* Pompeius *abſtulit: quam tu, Seſtius. quod uerò de tua, qua Seſtius eſt uſus, ſolicitus es, propterea quòd adſcriptum cuperes, à te iuſſu meo eſſe depoſitam: de hoc (inquit) quòd labores, nihil eſt: erit enim* S. C. *erunt tuæ literæ, quæ pecuniam iſtam Seſtio traditam eſſe teſtabuntur.*

Eadem Epiſtola.

IN *pecunia exacta ita efferre*] *Ex uarietate duorum codicum hæc lectio ſumpta eſt. cuius hic eſt ſenſus.* Prouinciæ *rationes* Cicero *retulerat. id eius Quæſtor* Rufus *ſe abſente fieri noluerat: pecuniæ enim neſcio quid à ſe in prouincia exactum in libro rationũ ſcribi cupiebat, exiſtimans, niſi id cum reliquis Ciceronis rationibus referretur, eius rei poteſtatem ſe deinceps non habiturum: quod ei fuiſſet inuidiæ, quaſi publicam pecuniam uoluiſſet auertere. itaq; commotus eſt. Cicero autem non eſſe ait, cur iraſcatur: nam licet ipſe rationes iam retulerit, Rufo tamen facultatem non adimi de pecunia referendi, quam exegiſſet. in pecunia, inquit, à te exacta non æquum fuit, ex eo quòd ego meas rationes retulerim, ut ita te efferres, itaq; mecum inſolenter, & iracunde ageres: neq; enim, cur id facias, cauſa ulla eſt: niſi quid me fallit: ſunt enim alij peritiores.*

Epiſtola eadem.

EX PROVINCIA *deceſſemus*] *Vetuſti codices omnes, deceßimus, habent. nos unà litera in e commutata deceſſemus pro deceßiſſemus è ſenſu ſcripſimus. alij codicis antiqui lectionem, quæ parua omnino diligentia reſtitui potuit, in ſuum librum coniecerunt.*

Libro 5. Epiſtola ultima.

COMMODA *omnia*] *Melius ita opinor, q̃ cõmunia oĩa. itaq; olim impreßimus, ſecuti libros aliquot manuſcriptos, quorum unũ ſanè perantiquũ* Hieronymus *Ferrarius habet.*

Eadem *Epiſtola.*

ETENIM *cum eſſet*] *Alij, ut enim, quam lectionem nos non admodum probamus: particulæ enim, ut, quæ reſpondeat, uox non erit. ex codice igitur* Bernardini *Maffei, etenim, emendauimus.*

Libro 6. Epiſtola 6.

QVARE *ad eam ſpem &c.*] *Inconſequens, & obſcura locutio. ex quo uereor, ne corruptè totus hic locus legatur. ac fieri tamen poteſt, ut ita ſcripſerit* Cicero, *& inciderit in uitium, quod* Græci *σολοικοφανὲς appellant cuius generis nonnulla cum in reliquis eius ſcriptis, tum in libris maximè contra* Verrem *deprehenduntur: quæ* Pedianus *adnotauit.*

Libro 6. Epiſtola 7.

MVLTA *Deos uenerati*] *Nihil eſt immutandum, ut alij crediderunt: nam etiam alibi nomen pro aduerbio poſitum eſt, ut, cùm dicitur, multa peccas, & multa egeo.* Cicero *de nat.* Deo. *pro* Muræna: *Topicorum autẽ initio, cum (inquit) mihi, meiſq; multa ſæpe cauiſſes.* Gellius *lib. 13. cap. 23.*

Eadem *Epiſtola.*

ELATVM] *Antea, latum: nos caſtigauimus elatum, meliorem, ut opinor, ſenſum ſecuti, quàm qui, latum, ſcribunt.*

noſtram autem lectionem accepimus ex libro manuſcripto Bernardini Maffei,nobiliſsimi adoleſcentis, qui in ſtudijs liberalium diſciplinarum ſumma ſua cum laude uerſatur.

Libro 6. *Epiſtola* 10.

RECVPERES] *Antea,receperis:nos, recuperes,aliquot iam annis emendauimus, & impreſsimus. codex uetuſtus ſcriptum habet,reciperes,& in alijs etiam exemplaribus,i,literam pro,u,ſæpiſsimè reperias.*

Libro 6. *Epiſtola* XIX.

SIMVL *accepi*] *Vetuſtorum librorũ hæc eſt lectio:cuius etiam Florentini meminerunt. ſed quoniam ſæpe etiam libros manuſcriptos eſſe corruptos intelligebant,neq; de dictione,ſimul,præter codicum autoritatem quicquam habebant,quod ſequerentur: uulgatam lectionem immutare non ſunt auſi.nos nõ dubitamus,quin rectè,ſimul, pro ſimul ac, in exemplaribus antiquis ſcriptum ſit.cuius uocis ex ijs,qui ſoluta oratione ſcripſerunt, exempla non afferam: (nam ſiquis erit, qui locum ubiq; deprauatum eſſe contendat,& pro ſimul uel ſimul ac, uel ſimul atq;, legendum dicat: quibus argumentis contrà pugnabimus?) ſed è poëtis, in quibus eam uocem in aliam mutari carminis ratio non patitur. dixit igitur Virgilius libro Georg.* IIII. *Taygete ſimul os terris oſtendit honeſtum Pleias: & Lucretius libro* 1. *Cui ſimul infula uirgineos circundata comptus, Ex utraq; pari malarum parte profuſa eſt: & Horatius epiſtola* x. *libri* 1. *Viuo, & regno, ſimul iſta reliqui. Quibus in locis,ſimul,dictum eſſe pro,ſimulac,licet animaduertere.*

Libro 6. *Epiſtola* 20.

NVMERVM *regionũ*] *Aliquot iã annis ita impreſsimus, cum ex antiquiſsimis exemplaribus hæc lectio ſumpta eſſet. Quàm tamẽ Florẽtini nõ receperũt,credo quòd in ſuo codi-*

ce

ce ſcriptum uidebant, regiorum: cuius uocis quæ poßit eſſe ſententia, nõ intelligo. de muneribus autem regionum, id eſt de ludis regionatim urbe tota edendis, Suetonius in Cæſare.

Eadem Epiſtola.

IN QVO ſit ſpes] Non uideo, cur quicquam mutari debeat, ut Florentini uoluerunt: cùm & ita legatur in codicibus uetuſtißimis, & ſenſus meo iudicio ſit apprimè commodus: nam cum dixiſſet, quod eo labore aſſequi uis, nullo modo aſſequere: intulit, aliquid uidebimus in quo ſit ſpes, id eſt quod nos aſſecuturos ſperare poßimus.

Libro 7. Epiſtola 1.

PATEFECISTI Seianum] Cùm loquatur de ludis, non diſplicet uetuſti codicis lectio, in quo pro, Seianum ſcriptum eſt, ſcenam. ſenſus erit: non puto te noſtros ludos deſideraſſe, cum ex cubiculo tuo Stabianum proſpiceres, quod tibi ſcenam referre, & tanquàm ſcenæ conſpectus delectare te poſſet.

Eadem Epiſtola.

P. METIVS] Hic eſt P. Metius cognomẽto Tarpa, qui ea, quæ in ſcena recitanda erant, prius iudicabat. eius meminit Horatius in epi. de arte Poëtica, & Sat. x. lib. 1.

Eadem Epiſtola.

HOMINI politico] Vetuſtos codices, in quibus ita legatur, habet Ioannes Scala, habet Hieronymus Ferrarius, habet Bernardinus Maffeus, habet Paulus Botus, habent alij, quos nõ neceſſe eſt cõmemorare. itaq; nihil muto. alij in ſuo libro imprimi uoluerũt, homini polito, affirmantes in oĩbus uetuſtis codicibus ita legi.

Epiſtola eadem.

FRVCTVM ullum laboris expecto] Veteres omnes libri pro, expecto, habent ex his peto. Florentini legunt, ex his expecto. mihi noſtra lectio magis probatur, ut quæ à ueteri ſcriptura minus recedat: nam & exſpecto, & exſcribo, & exſu

& exſupero, & alia huiuſmodi cum, ſ, litera ueteres ſcri-bebant, ut ex antiquis monumentis licet cognoſcere. uide Quintilianum lib. I.

Libro 7. *Epiſtola* 2.

DE BVRSA] *Hic eſt* T. *Plancus* B*urſa, frater* L. *Planci, ad quẽ ſunt epiſtolæ lib.* x. *accuſatus eſt ambitus, & condemnatus à* C*icerone, cui antea* T*ribunus pl. in cauſa* M*ilonis aduerſatus fuerat, & in cõcionibus magnã inuidiam concitarat. poſtea rerũ potitus* C*æſar eum, et omnes lege* P*ompeia damnatos reſtituit.* D*ion,* P*edianus, & alij: in his autem epiſtolis lib.* 9. *epiſtola* 10. *& libro* 12. *epiſtola* 18.

Libro 7. *Epiſtola* 3.

OPTAREM, *multæ cauſæ*] *Sic antea. nos ex libris manuſcriptis uocem, cauſæ, ſuſtulimus, ut purior & elegantior ſit lectio.*

Eadem Epiſtola.

ME VOLVISSE *etiam reliquis omnibus: poſtquam non potuerim, mihi ipſi finem feciſſe belli*] *Hic locus antea in omnibus impreßis perperam diſtinctus ſenſum peruertebat.*

Libro 7. *Epiſtola* 5.

M. FVRIVM] *Variè legitur in libris manuſcriptis.* F*lorentini,* M. O*rfium, impreſſerunt, arbitrati eum eſſe, de quo in epiſtola* XI. *libri* II. *ad* Q. *fratrem. quod mihi ſecus uidetur. ex hac enim epiſtola, qua* T*rebatium cõmendat, eum ante* T*rebatium iuiſſe ad* C*æſarem manifeſtum eſt. cùm autem ad* Q. F*ratrem ſcribit, dicit ſe eas literas* M. O*rfio dediſſe, cum iam* T*rebatius in exercitu* C*æſaris eſſet: quod in iiſdem literis poſtea ſignificat, cum inquit,* T*rebatium ut ualde ames, uehementer te rogo.*

Eadem Epiſtola.

LEPTAE *legatum*] C*rederem legendum eſſe, leg.* III. *legatum,*

*legatum,id eſt,legionis tertiæ legatum. fortè enim librarius ſcripſerat. leg. t.ᵉ pro legionis tertiæ: quod deinde is,qui legebat,cum non intelligeret, ex duabus dictionibus unam fecit,& ſcripſit,*Leptæ.

Eadem Epiſtola.

QVOD *familiam ducit*] *Quod caput eſt, quod in eo ſummum eſt: ut referatur non ad* Trebatium,*ſed ad id quod dicit,in iure ciuili ſingularis memoria,ſumma ſcientia. cùm enim* Trebatium *à multis rebus laudaſſet: memoriam, & ſcientiam in iure ciuili, cæterarum laudum, quibus* Trebatius *abundaret,quaſi familiã dixit ducere: tralatione ſumpta à rectoribus familiarum, quos domeſtici omnes ueluti duces ſequuntur.*

Epiſtola eadem.

PVTIDIVSCVLI]*Paulò,quàm ſatis eſt,diligentiores. excuſat enim ſe, quòd in* Trebatio *commendando plura uerba conſumpſerit, quàm* C*æſaris humanitas patiatur, putidum autem appellat* Cicero, *in quo nimia diligentia reprehendi poſſit, ut de* Oratore *lib.* III.*nolo exprimi putidius,nolo obſcurari diligentius. & de off.lib.*I.*literæ nequæ expreſſæ, neque oppreſſæ, ne aut obſcurum eſſet, aut nimis putidum. legitur autem in nonnullis manuſcriptis libris, blandiuſculi: ſed in antiquioribus, quos ſecuti ſumus, putidiuſculi.*

Libro 7. Epiſtola 9.

PROPTER *eius occupatiões nihil ſum auſus ſcribere*] *In duobus uetuſtiſſimis codicibus non eſt uox illa occupationes: ſed eius loco ſpatij aliquantum eſt relictum. ex quo credimus, à recentioribus, quorum imperitia deprauati leguntur ueterum ſcriptorum libri, uocem,occupationes, eſſe repoſitam.nos,quid ea dictio,quam in exſcribendo librarius*

omiſit,

omiſit, ſignificare potuerit, aſſequi coniectura non poſſumus. Græcam quidem uocem deeſſe crediderim. id enim ueriſimilius eſt, quàm Latinam: ut etiã alibi cognoſcitur in ipſius Ciceronis ſcriptis, ubi Græcum deſideratur exſcriptorum inſcitia, qui cum id legere non poſſent, omittebant, relicto ſpatio, ut ab alijs aliquando reponeretur.

Libro 7. Epiſtola 10.

AVT CONSOLANDO, *aut cõſilio, aut re iuuero*] *Senarius integer è Terentij Heautontimorumeno translatus in hunc locum. ſic enim in ea fabula, actu 1. ſcena 1. cum Mitione loquens Chremes inducitur: iſtuc, quicquid eſt, fac me, ut ſciam: Ne retice: ne uerere: crede inquam mihi: Aut conſolando, aut conſilio, aut re iuuero. Terentius porrò, ut opinor, à Plauto paucis immutatis accepit. apud quem in Pſeudolo, actu primo, ita loquitur Pſeudolus ſeruus: Fac me certum, quid tibi ſit: Iuuabo aut re, aut opera, aut conſilio bono.*

Libro 7. Epiſtola 11.

OMNIBVS, *unde petitur*] *Debitoribus. ita etiã de oratore libro 1. homo ex diſertorum numero poſtulabat, ut illi, unde peteretur, uetus atq; uſitata exceptio daretur, cuius pecuniæ dies fuiſſet. apud iuriſconſultos frequens eſt locutio.*

Libro 7. Epiſtola 12.

FIDVCIAE, INTER *bonos bene agier? quis*] *Ita legitur in libro manuſcripto. & ſanè crediderim, non aliter hunc locum eſſe ſcribendum. etſi priorem lectionem conſeruarim. uoces enim illæ,* VT, & OPORTET, *quæ ſunt in impreßis, additæ ſunt ab imperito, qui locutionem parum integram crederet: cum alibi à Cicerone iureconſultorum formulas ſine uerbo citari non animaduertiſſet, ut de offic. lib.* III. *In fiducia, (inquit) inter bonos bene agier? codices*

enim

enim uetuſti non habent, V T. *& ibidem paulò poſt. cùm dicitur, inter bonos bene agier, quicquam agi doloſè, aut malitioſè poteſt? in* Topicis *etiam:ubi eadem hæc uſurpantur uerba. manuſcripti codices ab impreſſa lectione diſſentientes,noſtram ſententiam confirmant, quam etiam* Romæ *doctißimis hominibus probaui.*

Libro 7. Epiſtola 13.

TREVIROS *uites cenſeo: audio capitales eſſe:*] *Vt unicuiq; quod ſuum eſt, tribuamus,* Petri Bembi, *hominis & dignitate, & omnium uirtutũ cognitione clarißimi,epiſtolam,qua huius loci ſententiã diligentißimè,& ornatißimè expoſuit, adſcribemus. non enim eos imitari placet, qui ex aliena induſtria ſibi laudem aucupantes, quæ ab alijs didicerunt,edunt pro ſuis.*

Petrus Bembus Bernardino Sandro S. *Quod hodie mane quærenti tibi à me de illis Ciceronis ad* Trebatium *uerbis:* Treuiros *uites,cenſeo: audio capitales eſſe: mallem, auro,argento, ære eſſent:reſpondi,iocum eſſe,& multiplicem, & feſtiuum:qui quidem iocus in antiquis, & numis,et ſcriptoribus deprehenderetur:itaq;,quoniam eramus in uia, ut neque libros, neque numos haberemus,reieci te in alium diem: id,ne te diutius torqueat, eſt eiuſmodi: ut ioci cauſa: quod quidem* Cicero *ad illum ſcribens more ſuo ferè ſemper facit: &* Treuiri, *& capitales in ambigui genere ſint poſita. nam cum uideatur monere illum,ut uitet* Treuiros Galliæ *populos,qui capitales,bellicoſiq; ſint: ludit cum in* Treuirorum,*tum in capitalium uerbo. erat enim* Romæ *magiſtratus,*Triumuiri *capitales: qui etiam* Treuiri *dicebantur. ſed quoniam hoc ipſum* Triumuirum *nomen iterum in ambiguo poni poterat,cùm eſſent etiã apud* Romanos Triumuiri *pecuniæ cudendæ:quos ita inſcribebant:*A.A.A.FF. *hoc*

eſt,

eſt, Auro, Argento, Aere Flando Feriundo: iocatur iterum in hoc uerbo, luditq; Cicero, ut mihi quidem uidetur, belliſſimè, addens, mallem Treuiros iſtos eſſe pecunioſos, quàm bellicoſos: ut Cæſare eos uincente, tu diteſceres. itaq; infert, mallem eſſe Treuiros auro, argento, ære: quàm ſcilicet capitales. Triumuiros autem etiam Treuiros ſolitos dici, Liuius ſatis locuplex eſſe teſtis poteſt: cuius ſunt hæc in lib. quartæ decadis x. Colonia Grauiſcæ eo anno deducta eſt in agrum Etruſcum de Tarquinienſibus quondam captum. quina iugera agri data. Treuiri deduxerunt C. Calphurnius Piſo, P. Claudius Pulcher, C. Terētius Hiſter. Quòd uerò Triumuiri pecuniæ ſic, ut dixi, inſcriberentur: eſt apud me numus æreus perantiquus ita ſcriptus C. PLOTIVS IIIVIR A. A. A. FF. *ſunt & alij numi aliorum nominum, eiuſdem tamen tituli: quos inſpicies, cū uoles. Hæc ad te ſcripſi, cum domum rediſſem, & numos, ac librum ſumpſiſſem amore tui admonitus. Vale. Prid. Idus Iun.* M. D. XXXIII.

Libro 7. Epiſtola 16.

NON NIMIS *φιλοθέωρον*] *Aliter antea in omnibus impreſſis. nos, ut in noſtro libro legitur, emendauimus, & impreſſimus ſeptimum abhinc annum. iocans enim ut ſolet, dicit ſe Trebatium non reprehendere, quòd non nimis ſpectandi cupidus fuerit, id eſt, quòd in Britanniam profectus non ſit, ut eſſedarios ſpectaret. tacitè autem ut ignauum, & puſilli animi ſubaccuſat, qui Cæſarem in Britaniam ſequi ad bellum noluerit.*

Eadem Epiſtola.

RESPONDERE] *Negāt, inquit, eſſe qui percunctentur: cum homines te iureconſultum imperitum exiſtiment. iocatur enim in uerbo reſpondere: quaſi dicat: negant te habere, cui reſpondeas, cum s. nemo te conſulat.*

Libro

Libro 7. Epiſtola 18.

GRAECVLAM *tibi miſi cautionem Chirographi mei*] Puto ſenſum eſſe. commendaui te Cæſari literis Græcè ſcriptis.

Eadem Epiſtola.

QVAM *hæc ſcribere.*] Suſpicor mendum ſubeſſe. mihi enim perobſcurus eſt ſenſus.& ut liberè dicam quod ſentio, legendum crederem, quàm exſcribere, nulla propemodum mutatione facta. deprauationis enim origo, ut opinor, ea fuit. deſcribendis libris ſæpe duos præficimus, qui legat, & qui de legente excipiat, ut ſcilicet celerius,& certius id muneris conficiatur. cum autem is, qui legeret, protuliſſet, exſcribere, credidit ſcriptor, exſcribere, dictum eſſe: itaq; fecit in libro. alius deinde errorem, quem per imprudentiam commiſſum debuit tollere, temeritate auxit, una dictione in duas diuiſas, priori duabus literis, quas falsò deſiderari credidit, adſcriptis, h,& a, ut legeretur, hæc, ſenſu fortaſſe commodo, ſed, ut dixi, mihi perobſcuro. quòd ſi legatur, exſcribere, hoc dicet. uideo te parum diteſcere, cui charta deſit, in qua tuas formulas, aut aliud quidpiam exſcribas. ea enim ſi ſuppeditaret, nunquam profectò ad nos in palimpſeſto. infert enim an hoc ſignificas, nihil fieri, frigere te, ne chartam quidem tibi ſuppeditare? dixit autem, quod delere malueris, quàm exſcribere, per iocum ſignificans, non habuiſſe Trebatium in quo exſcriberet id, quod delerat. itaq; ſe mirari quid fuerit in illa chartula, quaſi moleſtè ferat id periiſſe: chartæ enim inopiam oſtendi, cum ſcribat in palimpſeſto. idem error in III. epiſtolam VIII. libri ad Atticum irrepſerat: ubi enim antea legebatur faſces laureatos hæc ferre ex Italia, nemo non uidet legendum eſſe, exferre, ut ex uetuſtis codicibus Florentini repoſuerunt.

Eadem

Eadem Epiſtola.

M. AEMILII *Philemonis*] *Cùm in libris manuſcriptis uariè legeretur: (quidam enim Meuilij, quidam Metilli habent) auſus ſum emendare M. Aemilij: procul enim dubio libertus fuit adoptatus in Romanam familiam, ut alij multi. cùm autem Metriliorum mentionem nondum inuenerim: & codicum uetuſtorum uarietate, in quibus ueræ lectionis quaſi quædã ueſtigia cernuntur: & Pediani uerbis, qui eiuſdẽ (ut opinor) liberti meminit, adductus ſum, ut, M. Aemilij, corrigerem. libet autẽ ipſius Pediani locũ recitare, ut ſtudioſis quærendi labor abſit. is igitur ita in argumento orationis pro Milone. Munatius Plancus Tribunus pl. produxerat in concionem M. Aemilium Philemonẽ, notum hominem, libertum M. Lepidi. ita tamen hoc ſentimus, ut afferentibus alijs meliora, perlibenter de noſtra ſententia diſceſſuri ſimus.*

Libro 7. Epiſtola 20.

DOCTOREM *tamen, lumenq́; deſiderant*] *Omnino in omnibus libris manuſcriptis, pro lumenq́;, legitur, unumq́;. ego tamen libentius legerim, uſumq́;, id eſt exercitationemq́;, ut dicat idem, quod ſuprà, nullam artem literis ſine interprete, & ſine aliqua exercitatione percipi poſſe.*

Libro 7. Epiſtola 21.

RVFIO *mediusfidius tuus*] *Tuus, inquit, quòd eiuſdem eſſet gentis: Rufio enim Trebatiorũ cognomen fuit. id ex lapide, qui Romæ eſt in porta Latina: ſic enim in eo ſcriptum legitur.* C. VIBIVS C. F. MACER, C. TREBATIVS RVFIO FACIVND. CVRAVERVNT.

Eadem Epiſtola.

HABET *lucum*] *Sunt, qui, lucum, ideo male legi credant, quòd neque luci capax eſſet priuata domus, & luci, qui ſacri eſſent, non ſine ſcelere incidi poſſent. nos exiſtimamus,*

lucum,

lucum, non intra parietes, ſed ante ædes Trebatij fuiſſe: neq; Ciceronem impiè conſuluiſſe, qui eum à Trebatio cædi uellet: quomodo enim rectè, & ſine piaculo id fieri poſsit, docet M. Cato in primo de Re ruſtica.

Libro 7. Epiſtola 24.

MANEAT Damaſippus in ſententia] Vt emat, quemadmodum dixit, quæ mihi non placuerint. eſt autem is, de quo Horatius Satyra III. libri II. Inſanit ueteres ſtatuas Damaſippus emendo.

Libro 7. Epiſtola 25.

CAPIVS (opinor) olim, Non omnibus dormio] Aliàs ita emendauimus, cum libri omnes non modo impreſsi, ſed etiam manuſcripti hoc in loco mendoſi legerentur: quidam enim Citius, quidam Cepio, alij aliter habebant. nos ex Feſto Pompeio locum reſtituimus, qui adagium, Non omnibus dormio, natum eſſe à Capio quodam ſcribit, qui Pararencho diceretur, quod ſimularet dormientem, ut impunius uxor eius mœcharetur.

Eadem Epiſtola.

RESPONDI, nullo modo me facere poſſe, cum uellem.] Elegantior lectio, quàm quæ antea in impreſsis libris erat. hanc lectionem etiam Florentini in ſuo libro ſcripſerunt: ſed, quomodo eam interpunctis diſtinxere, non eo ſenſu, quo nos, uidentur accepiſſe.

Libro 7. Epiſtola 26.

VEREOR, ne in Catonem, Cato in nos] Hanc lectionem cùm alij uetuſti codices habēt, tum is, qui eſt apud Bernardinum Maffeum. ſenſus eſt. uereor, ne nos ſcribamus in Catonem, & eum noſtris ſcriptis laudemus: Cato autem laudatus exitio nobis ſit, Cæſare nos, quòd ipſius inimicum laudemus, male mulctante: quaſi dicat, uereor, ne Catonem

extollamus, ipſi autem deprimamur. & dixit, in Catonem, (ſubaudi ſcribere) ideſt in Catonis laudem, ut de oratore libro I I. *& de natura* Deorum *libro* I.

Libro 7. Epiſtola 28.

GALLO S. D.] *Florentini, & alij credunt hunc eſſe* M. *Fabium* Gallum, *qui de coniuratione* Catilinæ, *quæ ab* Allobrogibus *acceperat, ad* Ciceronem *detulit. ſed eſt amiciſsimus meus, uir ſanè his literis, quæ humaniores appellantur, inſtructus, ſed maximarum doctrinarum cognitione præſtantior, qui hunc potius exiſtimet eſſe* P. Seſtium, *pro quo extat oratio, cui cognomen fuerit* Gallo: *fuiſſe enim hoc* Seſtiæ *gentis cognomen. intelligitur ex oratione pro* Milone, *ubi ita ſcribit: Sacrarium, quod eſt in fundo* T. Seſtij Galli. *Tribunatum autem plebis & petiiſſe* Seſtium Ciceronis *reſtituendi cauſa, & pro eius ſalute geſsiſſe, ex ipſius* Ciceronis *ſcriptis notiſsimum eſt. quod item de* M. Fabio *dici non poteſt: neque enim is, quo tempore* Cicero *exulauit,* Tribunus *fuit: ne alijs quidem temporibus, quod ſciri poſsit. nam quod infrà dixit, ſi falſa fuerunt, quæ tu ad me detuliſti: ſignificat ea, quæ* Seſtius C. Antonij *Conſulis* Quæſtor *ad* Ciceronem *Conſulem de ipſo* Antonio *Conſule ſuo detulit: ſic enim in oratione pro eodem* Seſtio *habita.* Quæſtor C. Antonij *collegæ mei fuit ſorte, ſed ſocietate conſiliorum meus. impedior nonnullius officij, ut ego interpretor, religione, quo minus exponam, quanta ad me detulerit.* Hæ *rationes faciunt, ut amiciſsimi hominis ſententiæ libenter acquieſcam.*

Libro 7. Epiſtola 29.

NON *ſolum ſuis erga me*] *Has uoces uetuſtis in libris alij dixerunt ſe non inueniſſe. nos inuenimus in codice* Bernardini Maffei, Hieronymi Ferraij, Ioannis Scalæ.

Libro 7. Epiſtola 31.

SALVIS *rebus*] Potius, Rep. *nondum afflicta, quàm, ut quidam uolunt, ſine bonorum imminutione. ſic enim dixit etiam ad Sulpitium epiſtola* 1. *libri* IIII. *Vtinam Serui ſaluis rebus colloqui potuiſſemus inter nos:*

Libro 7. Epiſtola ultima.

PENNIGERO, *non armigero in corpore*] *non dubum eſt intelligi de auibus,* Quas Philoctetes *configebat tardus celeres, ſtans uolantes.* Florentini *tamen in ſuo libro, pinnigero, legi maluerunt, contra* Quintiliani *ſententiam, qui pinnas de auibus dici non uult.*

Eadem Epiſtola.

ILLIS *interioribus literis meis, quibus ſæpe uerecundiorem me in loquendo facit*] Iandiu *ſuſpicatus ſum hunc locum eſſe deprauatum: neque enim ſi ita legatur, ſenſus elici bonus poßit.* Hieronymus *autem* Ferrarius Corrigienſis, *qui quidem* Ciceronis *ſcripta, quantum intelligi poſſunt, & intelligit, & ſcriptis ipſe ſuis mirificè exprimit, arbitratur eſſe legendum, illis interioribus literis, eis, quibus ſæpe uerecundiorem me in loquendo facis. cuius ſententiæ nos facile acquieſcimus: ita enim & aptus colligetur ſenſus, & erit locutio ſanequam elegans, qua in ſuis ſcriptis ita frequenter* Cicero *eſt uſus, ut eius exempla huc afferre putidū propè ſit.*

Libro 8. Epiſtola 4.

LENTVLI *Cruris*] Hic *eſt, opinor,* L. Lentulus *Cruſcellus, qui anno ſequenti Cos. fuit cum* M. Marcello. *puto autem illum & Cruris, & Cruſcelli cognomine indifferenter appellari ſolitum.*

Ibidem.

NOSTRI *equites*] *Cùm in libro manuſcripto legeretur, equ. facile in eam opinionem deſcendi, ut, equites, legen-*

 dum

dum eſſe exiſtimarem. noſtri autem, inquit, quòd erat ipſe ex ordine equeſtri, ut ex oratione qua cum Cicero *defendit, cognoſcitur.*

Ibidem.

RATIONE, *& inſidijs uſus uideretur in euitandis eorum conſilijs*] *forte melius, ratione, & conſilio uſus uideretur in euitandis eorum inſidijs.*

Ibidem.

LAELIOS] Forte Lollios, *qui Cæſaris amici fuerunt, quemadmodum* Antonij: *nam Lælij* Pompeiani. *qua in opinione magis ſum confirmatus, poſtquam in epiſtola* III. *libri* v. *ubi, Lælium, impreſſum erat, uetuſtiſſimos codices,* Lollium, *habere uidi.* *Ibidem.*

MEA *porrò comitia quem euentum ſint habitura*] *Sic antea in omnibus impreſſis. nos uocem, comitia, ſuſtulimus: quæ ſubintelligitur, ut etiam cum dixit,* Prætorijs *moræ quædam inciderunt.*

Libro 8. *Epiſtola* v.

QVODAM *ſilice iam omnia*] Codex *uetuſtus* Ioannis *Scalæ ſic habet, quodam omnia in* Sicilia: Bernardini *Maffei,* Quodam *uictilicra omnia:* Qui *eſt in* Medicea *bibliotheca,* Quodam *incilicia omnia. uulgata lectio non eſt in libris manuſcriptis. uidendum an ita legi poſſit,* Quodam *incili iam omnia.*

Libro 8. *Epiſtola* 6.

CONFECTA, *omnia fœda, & inhoneſta ſunt*] Hoc *in loco uetuſti codices inter ſe diſcrepant. nos eum, quem habet* Ioannes Scala, *ut minus deprauatum ſecuti ſumus: ſic enim in eo legitur: confecta omnia fœda, & inhoneſta ſunt. ex quo adducti ſumus, ut, una litera immutata, legeremus: confecta, omnia fæda, & inhoneſta ſunt.*

Eadem

Eadem Epiſtola.

TABERNARIIS] *Aquarum ius penes Aediles, & Cenſores erat. itaque cùm tabernarij publicas aquas in ſuum uſum deducerent, Cælius, qui tunc temporis Aedilitatem gerebat, ea de re cum tabernarijs & aquarijs pugnauit: concionem etiam de aquis ſcripſit, cuius meminit Frontinus libro II. de aquæ ductibus.*

Libro 8. Epiſtola 7.

PAVLA Valeria] *Alij, an hæc Bruto nupſerit, dubitare uidentur; propterea quòd libro XI. Pollam Bruti uxorem fuiſſe perſpiciúnt: ego nupſiſſe exiſtimo, & eam ipſam eſſe, quæ libro XI. appellatur Polla: ut, quemadmodum ab aula olla, ſic à Paula Polla dicta ſit.*

Eadem Epiſtola.

NONDVM retulerat] *Si ita legatur, ſubintelligi poterit, dotem. ſed mihi non diſplicet amiciſſimi mei coniectura, qui ita legendum putat, mundum retulerat. mundus autem muliebris qui ſit, exponit Liuius lib. XXXIIII. munditiæ (inquit) ornatus, & cultus, fœminarum inſignia ſunt. hunc mundum muliebrem appellarunt, maiores noſtri.*

Libro 8. Epiſtola 8.

M. TVCCIVM accuſatorem ſuum &c.] *Huius loci ſenſum, & ſi obſcuriſſimus eſt, tamen declarare conabimur. Reorum cauſæ ordine agebantur: nam quæ tempore prior fuerat, eius prior item locus erat. excipiebantur tamen eæ cauſæ, quæ cum cauſis iam iudicatis coniunctionem aliquam habebant, ut earum quaſi appendices quædam uiderentur: eiuſmodi enim cauſis, etiam ſi poſt multas alias delatæ eſſent, tamen primus locus erat conſtitutus. itaque in oratione pro Cluentio, Fabritium (inquit) reum ſtatim fecit: utq; ei locus primus conſtitueretur, propter cauſæ coniunctionē im-*

petrauit. propterea cauſæ coniunctionem, inquit, quòd Fabritij cauſa eadem erat, quæ Scamandri, qui antea cōdemnatus erat. & infrà in eadem oratione: apud eoſdē iudices reus eſt factus Oppianicus, cum is duobus præiudicijs iam damnatus eſſet. ab iiſdē autem iudicibus locus ei primus eſt cōſtitutus. Hoc ideo factū eſt, quòd Oppianici cauſa coniunctionem habebat cum Fabritij, & Scamandri cauſa, quos iudices iam damnauerant. Excipiebantur etiam cauſæ de ui, quæ primo loco agebantur, omiſſis alijs cauſis, quæ tempore priores fuerant. ſic Milonis cauſa, quòd erat de ui, extra ordinem eſt acta. ſic M. Cælius, cum Atratini patrem de ambitu reum feciſſet, de ui poſtea accuſatus, cauſam ipſe prior dicere coactus eſt. ſic etiam C. Sempronius cum à M. Tuccio eſſet accuſatus, & cauſam ſuam eo anno nollet agi (forte quòd ex ijs, qui tunc iudices erant, aliquos ſe habere inimicos intelligeret) accuſauit accuſatorem ſuum lege Plotia de ui, eo conſilio, ut, interpoſita extraordinaria cauſa, tempus tereretur, & ſuæ cauſæ iudicium, cum eius agendæ ſpatium non eſſet, in annum ſequentem neceſſariò reijceretur. Extraordinarius autem reus is dicebatur, cuius cauſa non ordine, ut aliæ cauſæ, ſed primo loco ſemper ageretur: & inde extraordinaria cauſa, quæ ſtatim ante omnes cauſas ageretur, ut cum erat de ui, uel coniunctionem habebat cum aliqua cauſa antea iudicata.

Eadem Epiſtola.

LATERENSIS leges ignorans, pronuntiauit quòd ſinguli ordines iudicaſſent] Cùm ex tribus ordinibus, qui res iudicabant, duo Seruilium abſoluiſſent, unus condemnaſſet, uniuerſorum autem iudicum æquo numero ſententiæ fuiſſent, Laterenſis, qui ordines, non ſententias reſpiceret, abſolutum credidit, ſeq; eum in tabulas dixit abſolutum relatu-

rum.

rum. poſtea cum in lege reperiſſet, non ex ordinum numero, ſed è iudicum maiori parte uel abſoluendos, uel condemnandos eſſe reos: non retulit, ut dixerat, in tabulas abſolutum, ordinum iudicia perſcripſit. fuſius autem explicabimus, propterea quòd obſcurior eſt ſenſus, ita ut cum pauci uiderint, nemo certè oſtenderit: non enim, in quo Laterenſis Prætor *deceptus ſit, animaduerterunt. quod nos pluribus uerbis, ut etiam tardiores intelligant, oſtendemus. Iudicia penes treis ordines erant: qui quidē tres ordines ex ſenatoribus, equitibus,* Tribunis ærarijs *conſtabant: fieri autē poterat, ut quem duo ordines abſoluiſſent, unus condemnaſſet, is tamen non abſolutus, ſed condemnatus iudicaretur, hoc modo.* Eunt in *conſilium ſenatores* XXVI. *equites* XXV. Tribuni *ærarij,* XXIIII. *ex ſenatoribus abſoluunt reum,* XIIII. *condemnant,* XII. *ex equitibus abſoluunt,* XIII. *condemnant* XII. *ex* Tribunis *ærarijs abſoluunt,* IIII. *condemnant,* XX. *ſi ex ordinum numero iudicaretur reus, abſolutum appareret, quippe cum ex tribus ordinibus abſoluerint duo, ſenatorius, & equeſter. cum autem lex, quod iudicum maior pars iudicarit, id ius ratum eſſe uelit: condemnatum reum, nemo eſt, quin uideat, cum ſententias graues habuerit* XLIIII. *abſolutorias* XXXI. Prætor *autem* Laterenſis *cum ex more pronuntiare deberet, quot ſententijs abſolutus, quot eſſet condemnatus reus: leges ignorans, de numero iudicum nihil, de ordinibus, quid ſinguli iudicaſſent, pronuntiauit, ac ſe in tabulas abſolutum dixit relaturum. poſtea cum lege perſpecta, erratum intelligeret: dubius animi, quid ageret; quòd neque contra legem, neque contra id, quod pronuntiarat, uellet facere: neque abſolutum, neque damnatum retulit: tantum ordinum iudicia perſcripſit. ex quo paulò pòſt infert* Cælius: *ſic nunc neque abſolutus, neq;*

damnatus Seruilius, de repetundis. ſaucius Pilio tradetur.

Epiſtola eadem.

A' QVODAM *ſuo emiſſario*] *Florentini in uetuſto codice legi dixerunt, à quodam ſuo ruſtetio. ueram lectionem eſſe puto, à quodam ſuorum S. Tetio, quam excogitauit amiciſsimus meus, homo ita omni laude cumulatus, ut ego ei quàm pauciſsimos comparem, neminem certè anteponam. Tetios autem & libertos, & amicos Claudiorum fuiſſe, è qua gente erat Appius, oſtendit Aſconius, ubi in oratione pro Milone locum illum exponit: Hæc inſidiata Pompeio eſt. quanquam ibi tantum de Damione Clodij liberto loquitur. ſed Damionem Tetiæ gentis fuiſſe, oſtenditur ad Atticũ 56. itaque hic Cælius de Appio loquens, accuſatus, inquit, eſt à quodam ſuorum Sexto Tetio: nam cùm, Sextus, antiqui ſignificare uolebant, uel Sex. ſcribebant, uel S.*

Epiſtola eadem.

L. IVLIVS L. F. POM. *Annalis*] Ex XXXV. *tribubus, aliquam (ut inquit Pedianus) neceſſe erat, cuiuſcunq; eſſet ordinis, ciuis Romanus obtineret. is autem oſtendebatur à prænomine ſuo, à nomine (nomine autem familia ſignificatur) à patris prænomine, à tribu, à cognomine, ut Philippica* IX. *Ser. Sulpitius Q. F. Lemonia Rufus. Lemonia enim tribus eſt ablatiui caſus, ut ſit, ex Lemonia, ut inquit Aſconius. in lapidibus autem antiquis ferè ſemper, in libris aliquando prioribus tantummodo literis ſignificari tribus animaduertas, ut in hoc S.C. ubi enim legitur, Pom. ſciendum eſt, Pontinam intelligi (nam & Pontina, & Pomptina in lapidibus antiquis, & uetuſtis libris ſcriptum eſt) ubi Pop. Popiliam: ubi Pup. Pupiniam: ubi An. Anienſem: quod cum antea non eſſet exploratum, alij pro An. Capito, duabus uocibus coniunctis legebãt Ancapito: Bernardinus autem*

tem Rutilius, qui nuper Venetijs obijt, in ſuis adnotationibus credidit, antiquas notas fuiſſe, quæ ſignificarent, Atteij nepos. in quo quàm deceptus ſit, non attinet dicere. ſi enim ab auo oſtendendus aliquis erat, non ab eius nomine, ſed à prænomine oſtendebatur. Florentini autem in calce operis, ubi corrigunt impreſſorum errata: locum, qui rectè habebat, deprauarunt: cùm enim legeretur, An. Capito: legendum potius crediderunt, A. N. Capito. quos alij poſtea imitati, in eundem errorem inciderunt, Anienſem tribum non agnoſcentes, quæ duabus modo literis, ut iam dixi, ſcripta fuerat. quæ me ratio mouit, ut ubi, Puphirrus, una tantum uoce antea legebatur, duabus in noſtro libro ſcriberem, Pup. Hirrus, ideſt, Pupinia Hirrus: tribus enim ante cognomen ponebatur, ut etiam alibi licet uidere. quoniam autem hanc tribuum cognitionem non ita facilem eſſe perſpicimus (nam & Volaterranus, & Alexander, qui dies Geniales ſcripſit, & alij, quos non neceſſe eſt commemorare, parum uidentur in ſuis libris earum numerum, & nomina tenuiſſe) ſtudioſis non fore prorſus inutile, aut iniucundum arbitramur, ſi quæ in hanc rationem diſperſa in ueterum monumentis leguntur, coacta huc afferamus. Fuerunt igitur Romanæ tribus XXXV. quarum nomina infrà ſcripſimus, & ſcriptores aliquot, qui de ijs meminerunt, appoſuimus, ut inde facilior earum, ac certior unicuiq; cognitio ſit.

Aemilia, de qua Cicero ad Atticum 30: Liuius lib. XXXVIII. Antiq. LXXV.

Anienſis, Cicero pro Plancio, Liuius lib. X. familiarium epiſtolarum: Antiq. CLXXV. & CXC.

Cornelia, Liuius lib. XXXVIII. Antiq. CLI.

Claudia, Liuius lib. II. Virgilius libro VII. Dionyſius Halic. V. Antiq. LXXV. & CXIIII.

*Collina,Varro lib.*I I I.*de Lingua Lat.Plinius lib.*X V I I I.
*cap.*I I I.*Sex.Pompeius, Antiq.*X X V I I.
Cruſtumina,ſiue Cluſtumina, nam in antiquis & lapidibus, & libris ſæpiſsime per l,ſcripta legitur.Cicero pro Plancio, & pro Balbo, Antiq. C X X X I I I.
*Eſquilina, Varro lib.*I I I.*de Lingua Lat.Plin.lib.*X V I I I.
*Cap.*I I I. *Sex.Pompeius in litera* V.
*Falerina, Liuius lib.*I X.*Antiq.*C X X.
Fabia, Horatius epiſtola V I. *libri* I. *Suetonius in Auguſto. Antiq.*L X I. & C C C X L I I I.
*Galeria,Liuius lib.*X X V I I.*Plinius libro* V I I.*cap.*X L I X.
*Antiq.*L X X X I X.& C X L I I.
Lemonia, Cicero pro Plancio, & Philippica I X.*Sex.Pompeius,Antiq.*L X C I.& C L I.
Metia, Cicero ad Atticum lib.4 epiſt. 14. *Liuius lib.* X X I X.
Valerius Max. lib. 2. *cap.* 4. *de Cl. Nerone Sex. Pompeius.*
*Narnienſis, Cicero in Rullum, Liuius lib.*V I.*ubi corruptè legitur Arnienſis, & lib.*X X I X.
Ocriculana, Cicero in Rullum, ubi mendoſe legitur Otriculana.
*Ouſentina, Liuius lib.*I X. *Sex. Pompeius in litera* V. *Antiq.* X X I X. *bis*, & L X I I.
Palatina, Cicero in Verrem I I I I. *Aſconius in* I I. *contra Verrē.Varro lib.*I I I I.*de Lingua Lat.Plin. lib.*X V I I I.
*cap.*I I I.*Liuius libro* X X.*Sex.Pompeius in litera* V.*Antiq.*X X I X.*bis*, & L X I I.
*Papiria,Sex. Pompeius,Antiq.*L X I I.& C X X X V.
Pollia, Liuius lib. X X I X. *Valerius Max. lib.* I X. *Antiq.*
C X. C X I I I. C X L V I I.
*Popilia, Valerius Max.lib.*I X.*Familiarium epiſt.lib.*V I I I.

Sex.

Sex. Pompeius, Antiq. C C I I I C.

Pontina, ſiue Pomptina, utroque enim modo ſcribitur: Cicero ad Atticum lib.4.epiſt.14. *Liuius lib.* V I I. *Sex. Pompeius, Antiq.* C L X X V I.

Publicia, Liuius lib. V I I. *Antiq.* L X V I. L X X X I. *interdum etiam ſcribitur Poblicia.*

Pupinia, Cic. ad Q. fratrem lib. 2.epiſtola 3. Familiarium epiſt.lib. V I I I. *Liuius dec.* I I I. *lib.* V I. *Sex. Pompeius.*

Quirina, Aſc. pro Cornel. Cicero pro Quintio, ubi antea mendoſe legebatur Quirinas. Familiarium epiſt.lib. V I I I. *Sex. Pompeius, Antiq.* X V. X L I I I I.

Romulia, Sex. Pompeius, Cicero in Verrem I I. *item in Rullum, Aſconius: Varro lib.* I I I I. *de Lingua Latina. Antiq.* C L X V. *& in lapide, quem Ferrariæ uidimus.*

Sergia, Aſconius cõtra Anton. & Catil. Antiq. L X I. L X I I I.

Suburrana, Plinius lib. X V I I I. *Cap.* I I I. *Varro lib.* I I I I. *de Lingua Latina, Sex. Pompeius in litera* S. *& litera* V.

Sapinia, Liuius lib. X X X I. *&* X X X I I I.

Scaptia, Suetonius in Auguſto. Sex. Pompeius, Liuius lib. V I I I. *Antiq.* C C C C L X X V I.

Stellatina, Liuius lib. V I. *Antiq.* C X. C L.

Sabatina, Liuius lib. V I. *Sex. Pompeius.*

Terentina, Cicero pro Plancio, Liuius lib. V I. *Familiarium epiſt.lib.* V I I I. *Antiq.* C X L. C C C X X X V I.

Tromentina, Sex. Pompeius, Liuius lib. V I. *ubi corruptè legitur Promentina; Antiq.* C V I I. *& in Lapide, qui Caietæ eſt, in quo ita ſcriptum legitur,* L. ATILLIO L. F. TROMEN.

Velina, Cicero ad Atticum lib.4.epiſt.14. & in Bruto Horatius epiſtola V I. *libri* I. *Perſius, Antiq.* X I X.

Volit

Volitina, Cicero pro Plancio, Antiq. L X X V. C L V. & *in lapide, qui Venetijs eſt in turri ſancti Vitalis, in quo ita ſcriptum eſt,* CN. NVMERIVS CN. F. VOL. FRONTO.

Veientina, Cicero pro Plancio.

Veturia, cuius mentionem in autoribus fide dignis nondum inueni.

Hæ ſunt X X X V. *tribus, in quas Vrbs diſpertita erat. ex hoc autem numero quatuor tantum urbanæ fuerunt, Palatina, Eſquilina, Collina, Suburrana, in quas, ut inquit Plinius, transferri ignominiæ eſſet, dictæ à partibus Vrbis, in queis habitabant. reliquæ omnes ruſticæ, laudatiſſimæ, eorum, qui rura haberent: quæ propriæ ingenuorum erant, cùm urbanæ libertinorum eſſent, ut autor eſt Aſconius* 92. & *L. Florus in epitome libri* X X. *Aſconiũ autem, ubi in* I I I. *oratione in Verrem illud exponit,* V. ET X X X. TRIBVS, *cur de nominibus Sabinarum plures tribus eſſe factas dixerit, mirari non ſatis poſſum. cùm à Sabinis non tribus, ſed curiæ nomina acceperint, ut inquit Liuius lib.* I. & *Sex. Pompeius de uerborum ſignificatione libro* I I I. *tribus autem unde dictæ ſint, uel ex eodem Pompeio, uel ex alijs facile eſt cognoſcere. Vrbem autem in* X X X. *curias à Seruio autem Tullo, qui multis annis pòſt Romulum regnauit, in* I I I I. *tantum tribus diuiſam eſſe conſtat, quæ* X X X V. *numerum expleuere. Dionyſius autem Halic. lib.* I I. *in* I I I. *partes multitudinem omnem, ac trium rurſus earum partium in denas partes unanquanq; à Romulo diuiſam eſſe ſcribit: uocatas autem partes maiores, tribus: minores, curias. M. Item Varro libro* I I I I. *de Lingua Lat. agrum Romanum in* I I I. *partes, unde tribus appellata ſit, diuiſum fuiſſe ſcribit, ex quibus exemplis manifeſtum eſt,* &

tribus

tribus à curijs diuerſas fuiſſe, & à Sabinis mulieribus non tribus, quæ Romuli *ætate* III. *modo fuerunt, ſed curias eſſe nominatas.* Illud *multò magis animaduertendum, diligenterq; conſiderandum cenſeo, cur* L. Florus *in epitome libri* XIX. *duas tribus multis poſt exactos reges annis adiectas eſſe dicat,* Velinam, & Eſquilinam: *cum* Eſquilina *ex* IIII. *tribubus una fuiſſet, in quas* Seruius Tullus *urbem diuiſerat. libro etiam* VI. Liuius *ita ſcribit:* Tribus IIII. *ex nouis ciuibus additæ,* Stellatina, Tromentina, Sabatina, Narnienſis: *eæq;* XXV. *numerum expleuere. poſt autem libro* VII. *duas tribus ait additas eſſe,* Pontinam, & Publiciam, & *duas item libro* IX. Ouſentinam, & Falerinam: *ut uideatur à ſe ipſo diſſentire: niſi ſi, additas, & adiectas, pro auctas (ut quidem ego accipio) dictum uelis.* Quæ *de tribubus diceremus hæc habuimus.* Vbi *autem ſcripſimus,* Antiq. *librum, qui* Romæ *olim eſt impreſſus, cui titulus eſt,* Antiquæ Vrbis *epigrammata, ſignificauimus. chartarum autem eiuſdem libri numerum ſubiecimus, ut facilius, quæ uolumus, reperi poßint.*

Libro 8. Epiſtola 8.

AD EX Cal. Mart.] Forte, ex ad Cal. Mart. *ideſt, ex* Cal. Mart. *quod paulò pòſt oſtendit. uſus eſt hoc loquēdi modo &* M. Varro *libro* I. *de* Re *ruſtica. etſi libri omnes impreßi eo loco deprauati leguntur. ubi enim eſt, extant ad* VII. Idus Febr. *extant ad* VII. Idus Maij, *extant ad* III. Idus Sept. *extant ad* III. Id. Nou. *manuſcriptum exemplar habet, ex ad* VII. Id. Febr. *ex ad* VII. Id. Maij, *ex ad* III. Id. Sext: *ex ad* III. Id. Nou. *itaq; legendum eſt. ſignificat enim, ex eo die, qui dicitur, ad* VII. Idus: *& ex eo die, qui, ad* III. *ſimiliq; locutione uſus eſt ad* Atticum 47. *nuntij nobis triſtes nec uarij uenerant ex ante diem* Non. Iun. *quod idem eſt ac ſi dixiſſet,*

xiſſet, ex Nonis Iunijs, ut ſuprà oſtendimus. Illud eſt animaduertendum, quod ubi in impreſsis libris legitur, ad IIII. Cal. ad VI. Id. ad III. Non. & ſimilia, plerunq; in uetuſtioribus libris pro ad, legitur, a.d. quæ notæ ſignificant ante diem. quod imperiti deſcriptores cùm ignorarent, pro, a.d. ſcripſerunt, ad.

Libro 8. *Epiſtola* 9.

CVRIONEM *prorſus non mediocriter obiurgatus. hac repulſa ſe mutauit*] *Obiurgatus, uidetur hic eſſe uerbum deponens. quod alibi non memini me legiſſe. itaque libentius ita legerim, Curionem prorſus non mediocriter obiurgat. s. hac repulſa ſe mutauit. ut una litera s. ſcilicet ſignificetur.*

Eadem Epiſtola.

SOLES *libenter, ut ego, maiorem partem nihil curare*] *Locus ita interpungendus. & eſt antiqua locutio, qua etiam uſus eſt epiſtola ad* Pætum *libri* IX. *decimaquinta. Intellixi tamen (inquit) idem, quod his intelligo literis, non exiſtimaſſe te mihi licere, res has non omnino quidem, ſed magnam partem relinquere. & alibi ſæpius. Cæſar autem initio libri* IIII. *de bello Gallico, Magnam partem lacte, atque pecore uiuunt. & Lucretius libro* III. *hæc uulnera uitæ. Non minimam partem mortis formidine aluntur.*

Ibidem.

AGROS, *quos fructuarios habent ciuitates*] *Ita legitur in duobus libris manuſcriptis* Ioannis Scalæ. *alij, uetuſtis in codicibus non, habent, ſed, habet, ſe legiſſe dixerunt.*

Libro 8. *Epiſtola* 11.

NVMERARETVR] *Aſſentior amiciſsimo meo, qui legendum putat, numer' daretur. ſubintelligitur autem, hoſtium in prælio cæſorum. hoſtibus enim paulò antè lego ex codice Bernardini Maffei, non, ut quidam uolunt, hoſtijs.*

Eadem

Eadem Epiſtola.

DECRERANT *qui inique tranſigi uolebant*] Manuſcripti libri, quidam decrant: alij, deſcrant: alij aliter habent. ex tam uaria lectione adducti ſumus, ut, decrerant, legendum crederemus. loci autem ſenſus hic eſt. Domitius, & Scipio, cum de Ciceronis ſupplicationibus tranſigi, moleſtè, & iniquè ferrent, eaſq; Curionis Tribuni pl. interceßione impediri cuperent: ſimulatione beneuolentiæ ſupplicationes Ciceroni decreuerunt, ut ea re Curionem, qui omnibus eorum actionibus acriter aduerſari ſolitus erat. ad intercedendum elicerent. quibus interpellantibus uenuſtißimè Curio reſpondit, ſe eo libentius non intercedere, quòd quoſdam, qui decernerent, (ſignificabat autem Domitium, & Scipionem) eo animo eſſe intelligeret, ut confici minime uellent.

Libro 8. Epiſtola 12.

VIX HOC *erat Pola elocutus*] In uetuſto codice, qui eſt Florentiæ in Medicea bibliotheca ita legitur, ut impreßimus. huius lectionis alij quoque meminerunt. ſed eam minus integram exiſtimarunt, offenſi, ut opinor, in uoce, Pola, quòd eam ſe alibi uidiſſe non meminerant. eſt autem ea Seruij accuſatoris cognomen, de quo ad Q. fratrem epiſtola penultima II. libri, his uerbis: Vereor, ne homo teter, & ferus Pola Seruius ad accuſationem ueniat. uix igitur (inquit Cælius) hoc elocutus erat Pola, Appium, ſcilicet, & Domitiū ſummis Circenſibus ludis meis lege Scantinia me poſtulandum curare: cum ego eadem lege Appium Cenſorem poſtulaui. ac (ut, quod ſentio, liberè dicam) ſuprà quoq; ubi legitur, palàm Seruium: legendum potius, Polam Seruium, crediderim. ſed hoc eſt coniecturæ. manuſcripti enim libri, quos & Venetijs: & Romæ uidi multos, palàm, ut eſt in impreßis, habent omnes: à quibus diſſentire non temerè debemus.

Eadem

Eadem Epiſtola.

COEPI *ſacellum, in domo quod eſt, ab eo petere*] *Cenſorum erat curare, ut ſacella non in domo cuiuſquam eſſent, ſed populo paterent. itaque* Liuius *libro* XL. *ubi loquitur de* Lepido & Fuluio *Cenſoribus, Complura (inquit) ſacella, publica'que ſacra occupata à priuatis, ut paterent, eſſentq́; populo, curarunt.* Cælius *autem, ut oſtenderet* Appium *Cenſorem officio ſuo deeſſe, patere cœpit ab eo, ut ſacellum in domo priuata ne relinqueretur; cuius rei cura* Appij, *qui Cenſor erat, eſſe debuerat. ſed libentius intellexerim de ſacello, quod ipſe* Appius *occupaſſet: ex quo grauior ei concitata eſſet inuidia, occupatis rebus à Cenſore, quas Cenſor ab alijs occupatas populo reſtituere deberet.*

Libro 8. *Epiſtola* 13.

STOMACHO *eſt ſcilicet* Pompeius Magnus] *Libentius legerem, Stomacho eſt Magnus, ut duæ illæ dictiones, ſcilicet* Pompeius, *inducantur, tanquam inanes, & ſuperuacaneæ. non à* Cælio, *ſed ab imperito ſcriptæ: qui cùm inter legendum in eam uocem,* Magnus, *incidiſſet, exiſtimans eam obſcuriorem fore, niſi alijs ipſe uerbis illuſtraſſet, ſuprà ſcripſit, ſcilicet* Pompeius. *poſtea qui librum exſcripſerunt, imperiti, ut id genus hominum eſſe ſolet, neq;, quod adulterinum fuit, agnoſcentes, in contextum gloſſema receperunt.*

Libro 8. *Epiſtola* 14.

DE AGRI *modo, de ære alieno*] *Libentius ita lego, quàm, ut alij uolunt, de agris modo. forte autem id fieri uolebat* Appius, *quod maiorum memoria uoluerãt* C. Licinius, & L. Seſtius *Tribuni pl. qui leges promulgarunt, unam de ære alieno, ut deducto de capite quod uſuris pernumeratũ eſſet, id, quod ſuper eſſet, triẽnio æquis portionibus perſolueret*

ueretur : alteram de modo agrorum, nequis plus x l. *iugera agri poſſideret.*

Libro 8. *Epiſtola* 15.

QVANTVM *ipſe catenatus*] Legit *amiciſſimus meus, quantum* Pſ*ecade natus:ut ſignificetur* Bellienus *uerna:Pſecas enim ancilla eſt : uernas autem eos eſſe, qui ancillis naſcantur, nemo neſcit. itaq; dixit : ſi* Bellienus *ancilla natus* Domitium *comprehendere, & ſtrangulare non dubitauit: quid* Cæ*ſari, qui eſt* Venere *prognatus, in ueſtro* Domitio *faciundum fuit ? Hæc amiciſſimi hominis lectio, non dubito, quin à doctis probetur : cum & ſenſum habeat optimum, & à uetuſto codice parum, ac penè nihil diſcrepet.* De Pſ*ecade meminerunt* Iuuenalis *ſatyra* v i. *&* Ouidius *metamarphoſeon lib.* i i i. *cum hæc iam ſcripſiſſem, codex eſt allatus ad me perantiquus, in quo ita ſcriptum erat, quantum ipſecadenatus.*

Libro 9. *Epiſtola* 2.

CANINIVS *idem tuus, & idem noſter*] *Ita in quibuſdam exemplaribus antiquis : in alijs autem,* Caninius *idem, & idem noſter. priorem lectionem nõ immutauimus, quòd etiam alibi eodem loquẽdi modo Ciceronem eſſe uſum animaduertimus, ut de diuinatione lib.* i i. M. Marcellus *idem imperator, idem augur optimus.*

Libro 9. *ex Epiſtola* 5.

CONSILII *noſtri, ne ſi eos quidem, qui id ſecuti non ſunt, non pœniteret, nobis p.p.*] *Vetuſti codices ſic habent omnes : tantum in eo differunt, quòd, ubi nos, ne ſi, ſcripſimus, habent, niſi.* Q*uam uocem non temerè immutauimus: qui enim aliter fuiſſet abſurdiſſimus, is nunc, ut mihi quidem uidetur, aptiſſimus eſt ſenſus. quem pluribus uerbis oſtendemus : ut ſiquis eum probabit, (probabit autem, niſi fallor,*

 quic

quicunq; rectè indicat) acceptam referat huius loci emendationem diligentiæ, atque iudicio Hieronymi *Ferrarij, præſtantiſsimi iuuenis, qui reſtituendæ antiquitatis ſtudio quodam adductus incredibili, quotidie ferè præclarum aliquid in literis à ſe aut animaduerſum, aut excogitatum, ultrò ad me defert, ut id aliquando meis typis in communem ſtudioſorum utilitatem diuulgetur. ſed ad rem.* Conſilij *(inquit) noſtri, quòd & Pompeium in bellum ſecuti ſimus, &, eo in Pharſalia ſuperato, uictori nos crediderimus: ne tum quidem nobis pœnitendum putarem, ſi eos, qui minus id ſecuti ſunt, non pœniteret. Significat enim, qui ſecus fecerint, eos iam pœnituiſſe. quos ſi non pœniteret, ego tamẽ (inquit) nobis pœnitendum non putarem.*

Lib.9.Epiſtola 12.

MVNVSCVLVM *mittere uolui*] *Verbum, uolui, uetuſtis in libris alij negant eſſe. nos inuenimus in antiquiſsimo codice* Vincentij Riccij, *& in eo, quem habet* Paulus Botus, *& in alijs, quos* Romæ *cum impreſsis contulimus.*

Libro 9. Epiſtola 15.

INTELLEXI *pergratam tibi eſſe curã meam ualetudinis tuæ*] Hunc locum ex l*ibris manuſcriptis reſtituimus.*

Libro 9. Epiſtola 16.

FACETE *dictorum offenſionem*] Florentini *uocem, offenſionem, in codicibus uetuſtis eſſe negant, quam nos in ſeptem legimus. itaq; nihil immutauimus. illi ex ingenio repoſuerant, famam. dixit autem, effugere dictorum offenſionem, pro effugere dicta, in quæ imprudentes incurrimus, & offendimus.*

Eadem Epiſtola.

ILLOS *apud me declamitare, me apud illos cœnitare*] *Ita legitur in antiquiſsimo codice* Vincentij Riccij *: ut iam*

exiſtimandum non ſit, locum ex ingenio ſuppletum fuiſſe, ut nonnulli ſe credere dixerunt.

Eadem Epiſtola.

TV AVTEM *quod mihi bonam copiam eiures, nihil eſt*] Hieronymus Ferrarius, *iuuenis ſubtiliſſimi iudicij, legendum arbitratur, bonam copiam iures. hoc ſenſu: non eſt, quod te mihi ſemper præſto fore, tuiq; bonam copiam facturum eſſe iures. ut reſpexerit ad id, quod* M. Varro *ſcribit lib.* VI. *de* Lingua Latina: *Debitores nonnulli pro pecunia quam debebant, operas in ſeruitutem dabant, dum ſoluerẽt. id Sylla dictator ſuſtulit: uoluitq́;, ut ij bonã copiam iurarent, ideſt, ut ſui facultatem creditoribus ſemper eſſe facturos iuramento promitterent.* Ibidem.

AESTIMATIONEM *te aliquam putes accipere:*] *Alluſit ad æſtimationem poſſeſſionum, quam Cæſar per arbitros debitorum cauſa fieri uoluerat, ut ij creditoribus facilius ſatisfacerent. qua de re initio libri* III. *de bellis ciuilibus, his uerbis. Cùm fides tota* Italia *eſſet anguſtior, neq; creditæ pecuniæ ſoluerẽtur, conſtituit, ut arbitri darentur: per eos fierent æſtimationes poſſeſſionum, & rerum, quanti quæq; earum ante bellum fuiſſent, atq; eæ creditoribus traderentur. hoc & ad timorem nouarum tabularum tollendum, minuendumq́;, qui ferè bella, & ciuiles diſſenſiones ſequi conſueuit, & ad debitorum tuendam exiſtimationem eſſe aptiſſimum exiſtimauit. Suetonius etiam in Cæſare,* De *pecunijs (inquit) mutuis, diſiecta nouarum tabularum expectatione, quæ crebro mouebatur, decreuit tandem, ut debitores creditoribus ſatisfacerent per æſtimationem poſſeſſionũ, quanti quaſque ante ciuile bellum comparaſſent, deducta ſumma æris alieni, ſi quid uſuræ nomine numeratũ, aut perſcriptum fuiſſet. qua conditione quarta pars ferè*

g 2 debiti

debiti deperibat. Cùm igitur Papirius *ex eo Cæſaris decreto magnam à debitoribus plagam accepiſſet, æſtimatis eorum poſſeßionibus, non quanti uenire tunc poſſent, ſed quanti ante ciuile bellum fuiſſent: iocans, ut ſolet, Cicero, Ne credas, inquit, cum me hoſpitio recipias, æſtimationem te aliquam accepturum. et dixit, æſtimationẽ aliquam, tanquam ſi, magnum aliquod damnum, dixiſſet.* Papirius *enim æſtimationes, ideſt prædia per arbitros iniquè æſtimata à debitoribus accipiens, crediti iacturã non minimam fecerat. deinde ſequitur, Etiam hæc leuior eſt plaga ab amico, quàm à debitore, hoc eſt, & tamen, quòd ab amico bona tua comedantur, non id tibi æquè graue eſſe debet, atq; illud eſt, quod debitorum cauſa deperdis: à quibus poſſeßiones, quanti uendere nunquam poteris, accipiendæ tibi ſunt.*

Lib. 9. Epiſtola 17.

NON MODO *me*] *Codices omnes uetuſti hanc lectionem habent, quam, ut incorruptam, ſecuti ſumus. qui autem ea ſunt offenſi, ex ingenio particulam, non, interiecerunt. uide quæ diximus in illum locum epiſtolæ penultimæ libri 1. Non modo præmijs, ſed ne periculis quidem.*

Libro 9. Epiſtola 18.

AESTIMATIONES *tuas uendere nõ potes*] *Hunc locum qui rectè interpretaretur, neminem uideo fuiſſe. ſignificat autem poſſeßiones per æſtimationem à debitoribus acceptas. & quemadmodum ſuprà, poſuit æſtimationes pro rebus æſtimatis.*

Libro 9. Epiſtola 20.

NEC TAMEN *ad hanc inſolentiam*] *Cur alij mendum eſſe in uoce, inſolentiam, exiſtimarint, non uideo: inſolentiam enim pro nimijs ſumptibus, qui s. fiebant in cœnas, accepit: à quibus ſe alienum eſſe dicit: lautitiam tantum quærere.*

quærere. quod etiam ſuprà, Epiſtola huius libri XVI. *his uerbis oſtendit:* Nec *tamen eas cœnas quæro,ut magnæ reliquiæ fiant.quod erit, magnificum ſit, & lautum. inſolentiam eodem ſenſu poſuit* Philippica IX. *magnificè enim (inquit) Ser.Sulpitius maiorum continentiam diligebat,huius ſeculi inſolentiam uituperabat. & in oratione pro Sex.* Roſcio, Qui *in ſua re fuiſſet egentiſſimus,erat,ut fit, inſolens in aliena.*

Eadem Epiſtola.

CVM IN *ſumptus habebas*] Vetuſtiorum *codicum hæc eſt lectio·:· quam* Florentini *etiam receperunt,licet eam(ut ipſi dixerunt)mendoſam ſuſpicati.mihi ea uel maximè probatur,ut deſiderari nihil credam. dixit autem cùm in ſumptus habebas, pro eo quod dicimus, cum ad ſumptus copiæ ſuppetebant, cum pro ſumptibus facultates erant,cum erat tibi quod eſſet in ſumptus ſatis: ſic enim hoc loco in ſumptus,ideſt, pro ſumptibus, dixit, quemadmodum etiam ad* Atticum *epiſtola* V. *libri* VIII. Tironem *Curio commendes,ut ei, ſiquid opus erit,in ſumptū eroget.* Epiſtola *etiam, quæ ſequitur, eodem libro: ſed enim (inquit) uideo in ſumptum ab alijs mutuatum. & ad eundem libro* XV. *uelim cures,ut permutetur* Athenas,*quod ſit in annuū ſumptum. imitamur igitur lautitiam tuam,inquit, illam ueterem,cum habebas in ſumptum: etſi nunc quidem plura prædia tibi ſunt.quæ ſi à debitoribus pro pecunia, quam credideras,inuitus accepiſti, æſtimata ex edicto* Cæſaris *quanti quæq; ante ciuile bellum fuiſſent: hæc enim quaſi per iocum dicta ſunt,ut irrideatur* Pætus,*qui nō habeat in ſumptus,ut anteà: cum ei poſſeſſiones multò,quàm antea, plures ſint.*

Eadem Epiſtola.

EX AREIS] *Sunt, qui legant, & artis. quorum ſententia*

lentia non admodum mihi probatur: particula enim, &, inanis, atq; otioſa uidetur eſſe.

Lib. 9. Epiſtola 22.

PERVIM *uiolat*] *Antiqui, uiolauit uirginem, pro, uitiauit: & cum muliere fuit, pro, concubuit, modeſtè dicebant. autor* M. *Varro lib.* v. *de Lingua Lat.*

Eadem Epiſtola.

PENICVLVS] *In omnibus ferè manuſcriptis libris ita legitur. cuncti tamen impreſſi, penicillus, habent: quam lectionem ab ijs repoſitam exiſtimo, qui, quid peniculus ſignificaret, non intellexerunt. quæ quidem uox à* Sex. Pompeio *libro* XIIII. *bis exponitur. Peniculi (inquit) ſpongiæ longæ propter ſimilitudinem caudarum appellatæ: penes enim uocabatur caudæ. & inferius. Penem caudam uocabant. hinc peniculos dicimus, quibus calceamenta terguntur. ex quo uel maximè uetuſti codicis lectio comprobatur: eundem enim ſenſum* S. Pompeius *iiſdem uerbis, quibus* Cicero, *complexus eſt.* Plautus *quoq; in Menæchmis, actu* I. *Iuuetus (inquit ſub perſona paraſiti) nomen fecit* Peniculo *mihi, ideò quia menſam, quando edo, detergeo. ut eius uocis ſignificatio obſcura iam eſſe non poßit. hunc autẽ locum ingenioſißimo, atq; eruditißimo iuueni* Hieronymo Ferrario *debemus.*

Libro 9. Epiſtola penultima.

NVNC ADES *ad imperandum, uel ad parendum potius: ſic enim antiqui loquebantur.*] *Difficilis locus: qui me diu ualde torſit. interpretes enim omnes, alij eum, ut ſcopulum, euitarunt: alij, dum uideri uolunt intelligere quod minimè omnium intelligũt, ineptiarum neſcio quid attulerunt, quod rideri magis, quàm refelli debeat. comperi igitur, locutionem eſſe ueterem, & antiquis uſitatam: licet eius non multa habeamus exempla: quibus enim in ſcriptis ueteres*

illi

illi dicendi modi frequentius potuiſſent deprehendi, ea fermè omnia perierunt. itaq; ex unius Saluſtij uerbis locus hic ad Pætum exponitur. facilè enim colligitur, antiquos, ad imperandum, paßiuè dicere ſolitos, ut etiam Cicero ipſe exponit. ſed ponamus Saluſtij uerba, quæ ſunt in Iugurthino, Iugurtha (inquit) ubi armis, uirisq;, & pecunia ſpoliatus eſt: dum ipſe ad imperandum Tiſidrum uocaretur, rurſus cœpit flectere animum ſuum, & ex mala conſcientia digna timere. ad imperandum, dixit, id eſt ad parendum, & ad imperata facienda: quemadmodum Cicero, ades ad imperandum, pro, ades, ut ego tibi imperem.

Libro 9. *Epiſtola ultima.*

ET GEMITVM *etiam in riſus maximos transfero*] *Hunc locum alij ita, ut nos, iam antè emendarunt. ſed interpunctis aliter illi diſtinxerant, ut ſenſum planè alium efficerent. nos Ciceronem credimus hoc dicere. in conuiuio cum patriam ſatis luxi, à mœſtitia & gemitu uel maximam ad hilaritatem, maximosq; riſus me conuerto.*

Eadem Epiſtola.

ILLE Baro] *Baro mulier fuit philoſophiæ dedita, ut ſcribit Suida. ex eo philoſophos, qui ſtolidiores eſſent, nõ philoſophos, quòd eo nomine uiderẽtur indigni, ſed* Barones *uocabant, ut quaſi mulierculæ per cõtemptum appellarentur.*

Libro 10. *Epiſtola* 1.

DE MEDIO *curſu*] *Ex ueteri codice ita emendauimus. ſic autẽ locutus eſt in fine libri* III. *de officijs, eadem de re loquens. ſi ipſe (inquit) ueniſſem Athenas: quod quidem eſſet factum, niſi me de medio curſu clara uoce patria reuocaſſet. item ad* M. *Brutum epiſtola, cuius initium eſt, Meſſalam habes. itaq; in medio Achaico curſu, cum Eteſiarum diebus auſter me in Italiam retuliſſet.*

Libro 10. Epiſtola 8.

VICTORIAM *pararemus*] *Hæc lectio cũ & in libro manuſcripto Vincẽtij Riccij ſit, (ut omittã alios) et ſenſu nõ careat: non uideo, cur quicquã immutetur. alij uocẽ, pararemus, improbant, & partiremus, ex ingenio legũt, ſed, ut quiuis intelligere poteſt, rationibus nituntur parum firmis.*

Libro 10. Epiſtola 12.

TVA *dignitas affert*] *Antea legebatur, afferat. nos, affert ex uetuſto codice, quem habet amicus meus Ioannes Scala, uir & humanitatis, & eruditionis propè ſingularis. eſt autem ſenſus. ita mihi detur te uictorem complecti Rep. recuperata, ut mihi magnam lætitiæ partem tua dignitas affert. uerbum complectar, qui crediderunt eſſe indicatiui modi: uocem, affert, ut ipſi putabant, emendarunt, ut ego exiſtimo deprauarunt.*

Eadem Epiſtola.

BREVIA, *fugacia, caduca exiſtima*] *In uoce fugacia, uetuſti codices uariant. alij, fugatia: alij, fugato, habent. ego, etſi uulgata lectio ſenſu non caret, tamen libentius legerem, fucata: ut trallatio ſit à mulieribus, quarum ſæpe nitor non naturalis, ſed fucatus eſt. hæc (inquit) fucata exiſtima, quoniam uerum ſplendorem non habent, ſed collecta ſunt inaniſsimis ſplendoris inſignibus.*

Libro 10. Epiſtola 17.

OBSIDE *fide*] *Sic in omnibus uetuſtis exemplaribus. & dixit, fide, pro fidei, generandi caſu, quemadmodum etiam Saluſtius in Iugurtha decima parte die reliqua, pro diei. id quod Gellius adnotauit: qui etiam C. Cæſarem, huius die, & huius ſpecie, dicendum putaſſe tradit.*

Ibidem.

DE *tribus fratribus Segauiano probauit.*] *Ita legitur*

in omnibus libris manuſcriptis. fortè melius, S.Gauiano, *ut ſignificetur Sextus* Atilius *Gauianus, de quo in oratione pro Seſtio. ſenſus erit :* In ea re (*ut ſcilicet* Lepidus Apellam *ad me mitteret*) *ſtudium mihi ſuum* Gellius *probauit : de tribus autem fratribus,* (*quidpiam ſignificat nobis minus notum, cuiuſmodi in epiſtolis ad* Atticum *ſcriptis multa ſunt*) Sexto Gauiano.

Libro 10. Epiſtola 19.

GRAVISSIMAE, *& maxime fortiſſimi animi, ſummiq; conſilij*] Sic habent omnes *impreſſi libri. nos in noſtro ita legi, & interpungi uoluimus : grauiſſimæ, & maximæ, fortiſſimi animi, ſummiq; conſilij : ut animi maximæ res ſint, conſilij grauiſſimæ.*

Libro 10. Epiſtola 23.

ELAPSVS *ſum bis*] Dictio, *bis, cum oleret mendum: ſcripſi ad amiciſſimum meum, ut is mihi, de ea quid ſentiret, exponeret. reſcripſit, corruptam ſe iam pridem iudicaſſe: nuper autem rariſſimæ uirtutis, & ſummæ nobilitatis hominem,* Benedictum Accoltum, *Rauennæ Cardinalem, quem ego honoris amplitudinisq; cauſa nomino, cum has Ciceronis epiſtolas ſucciſiuis temporibus legendo percurreret, eam emendaſſe, nempe ſic,* Elapſus ſum bis : *ut ſe dicat* Plancus *periculum bis effugiſſe : ſemel, cum ad* Lepidum *non acceſſit, neque ſe unquam cum eo uoluit coniungere: quod ſi feciſſet, ipſe cum uniuerſo exercitu in* Antonij *poteſtatem* Lepido *prodente deueniſſet: iterum, cum audito* Lepidi Antonijq; *aduentu, celeriter ſe recepit.*

Libro 10. Epiſtola 30.

AMPLIVS *paſſus quingentos*] *Paſſuum numerum, quem alij manuſcriptis in libris ſe non uidiſſe dixerunt, comperimus in codice perantiquo* Vincentij Riccij, *iuuenis*

optimis & literis, & moribus ornatiſsimi.

Libro 10. Epiſtola 31.

QVANTAS *habuerim contentiones*] *Antea, conciones. nos, contentiones, emendauimus ex uetuſto codice* Pauli Boti, *& ex epiſtola ſequenti, in qua idem* Pollio *ita ſcribit: Nec uerò munus Lepidus urſit me & ſuis, & Antonij literis, ut legionem trigeſimam mitterem ſibi.*

Eadem Epiſtola.

QVAE RES *quanti æſtimem, ſi unquam licuerit uiuere in otio, experieris.*] *Ita legunt Florentini, omnino cum uetuſtis codicibus: ſed locutio eſt inconſequens, & parum Latina: quam reſtituere non difficile eſt: nam ſi duæ illæ ſyllabæ, quæ res, iungantur, & locus aliter interpungatur: nihil erit, quod reprehendas. ſic igitur in noſtro libro imprimi uoluimus. quæres, quanti æſtimem. ſi unquàm licuerit uiuere in otio, experieris.*

Libro 10. Epiſtola 32.

DVXIT *ſe à Gadibus*] *Locutio quibuſdã uidetur durior: qua tamen & Terentius in Hecira uſus eſt, Vxor (inquit) ubi me ad filiam ire ſenſit, ſe duxit foras: & Plautus in Aularia cùm dixit, Ego me deorſum duco de arbore.*

Eadem Epiſtola.

SEX. Varr*o* Procos] *Hiſtoria mihi quidem ignota. &, ut dicam quod ſentio, mendum ſubeſſe crediderim: nam etiam codicem habeo uetuſtiſsimum, in quo hæc uerba non leguntur.*

Ibidem.

CIVIS Romanus ſum] *Cùm mihi* Hieronymus Ferrarius Corrigienſis *hunc locum ſe habere ſuſpectum dixiſſet: &, ut ueteres codices inſpiceremus, rogaſſet: collatis cum impreſſa lectione manuſcriptis libris, dictionem, natus, ita ut*

ipſe

ipſe exiſtimauerat, abundare comperimus. quo factum eſt, ut eam de noſtro expungere ne dubitarem. hanc autem coniecturam ea ratione Ferrarius faciebat, quòd Ciceronē VII. *in* Verrem *libro ita locutum eſſe meminiſſet. Ceruices (inquit) in carcere frangebantur indigniſsimè ciuium* Romanorum, *ut etiam illa uox, & illa imploratio, ciuis* Romanus *ſum, quæ ſæpe multis in ultimis terris opem inter barbaros: & ſalutem tulit, ea mortem illis acerbiorem, & ſupplicium maturius ferret. et infrà eodem libro,* Nulla *uox audiebatur, niſi hæc,* Ciuis Romanus *ſum, & item paulò pòſt ſæpiſsimè: ut ſibi quiſque legendo facilè reperiet.*

Ibidem.

DENARIOS *quingenos*] *Nimia uidetur ſumma: itaq; ex uetuſto codice* Vincentij Riccij, *denarios quinquagenos, emendaui.*

Libro 10. *Epiſtola* 33.

NON *maior tamen, quàm* Planco *fuit*] Hoc *dicit. ſanè mecum iniquiſsimè agatur, ſi propter amicitiam, quæ mihi cum* Antonio *fuit, durius quicquam homines de me ſuſpicentur: cum eundem* Antonium *non minus, quàm ego, dilexerit* Plancus: *cui tamen exercitum credidiſtis, ut cum* Antonio, *reliquisq; bonarum partium inimicis bellum gerat. ſcripſit autem hoc cum indignatione quadam, grauiter ferens, inimicum ſuum melius erga* Remp. *animatum exiſtimari. inimicitias autem inter* Aſinium, & Plancum *fuiſſe, cùm alij tum* Plinius *in præfatione librorum ſuorum ad* Veſpaſianum *oſtendit.*

Eadem Epiſtola.

HABERE *equitum*] *Sic omnes libri manuſcripti. fortè legendum ſit, habere equitatum, ut ſubaudiatur, quem antè habuerat. equitem enim in pugna nullum amiſerat* Antonius.

nius.nam etiam epiſtola huius libri ultima, Equitatum, *ſcribit* Lepidus,*habet bene magnum: nam omnis ex prælio integer diſceßit. ſæpe autem, à librarijs in ſcribendo ſyllabam fuiſſe omiſſam,animaduertimus.*

Eadem Epiſtola.

P. VAGIENI] *Hãc lectionem in calce operis olim adnotaueram,è coniectura tantum,uetuſtis libris nihil adiuuantibus:poſtea in antiquo exemplari, quod* Bernardinus Maffeus *habet,eam inueni.*

Libro 10. Epiſtola penultima.

IMPERATOR *iterum,*] *In codice* Vincentij Riccij, *& in alijs legitur,* Imperator *ter. id eſt tertium: quomodo etiam dicebatur,* Conſul *tertium. ſed ſiue,iterum, ſiue, tertium, legas: mihi tamen de loci integritate certum non eſt. nam quod alij dicunt, in titulis, & monumentis ſolitos fuiſſe ueteres notare, quoties à militibus ob rem bene geſtam imperatores eſſent appellati: ſanè id aſſentior: ſed factum eſſe antequam* Auguſtus Remp.*opprimeret,nondum comperi.*

Eadem Epiſtola.

IN *ciuibus conſeruandis*] *Potius ita lego, quàm, obſeruandis. noſtram lectionem habet liber manuſcriptus* Bernardini Maffei.

Ibidem.

IIII. *Cal.Iunij, à ponte* Argenteo] *Vitioſi ſunt hoc loco manuſcripti libri: ſed boni tamen aliquid habent ſinguli. in tribus uetuſtißimis legitur,* IIII. *Calend.à ponte* Argenteo *: in eo, de quo mihi* Vincentius Riccius *commodauit, qui & ipſe perantiquus eſt,* III. *Cal.Iunij. itaque in noſtro libro,*III.*Cal.Iunij, ſcribere non dubitaui:ut ſit dies, quo ſe cum* Antonio *coniunxit. libro enim x. epiſtola, cuius initium eſt,* Nunquam mehercule, *ita ſcribit* Plancus. Lepidus

deſperato

deſperato aduentu meo ſe cum Antonio coniunxit ad IIII. *Cal.Iun.hanc autem epiſtolam, poſt eam, quæ ſequitur, ſcriptam eſſe, nemo non uidet.*

Libro 10. *Epiſtola ultima.*

X̄XX.] *Lineam, quam ſuper numerum duximus. olim ab aliquo fuiſſe omiſſam credimus, qui, ea quanti eſſet, ignoraret: nam in codice* Vincentij Riccij *ſcriptum eſt,* XXX. *quomodo autem nos ſcripſimus, triginta millia, ſignificatur.*

Eadem Epiſtola.

MEMINI *autẽ*] *Sic, opinor, melius, quàm, ut antea, memini enim. quò enim ſpectabat uox illa, enim? mihi certè cum ſuperioribus cohærere poſſe non uidetur. itaq; ea deleta, repoſui, autem, motus autoritate uetuſtiſſimi codicis, quem habet* Vincentius Riccius, *in quo, autem, pro enim, ſcriptum eſt. quanquam præcedens dictio mendum habet. non enim, memini, ſed maximè, in eo libro legitur. ſed nullus eſt tam antiquus codex, qui non multis locis corruptus tamen ſit. itaque uno, aut etiam altero manuſcripto libro qui ſe putant ueteres ſcriptores poſſe reſtituere, meo iudicio falluntur. uetuſtis exemplaribus ad eam rem plurimis opus eſt. quæ licet inquinata ſint: tamen ex ſingulis boni aliquid excerpentes, uſu ſæpe uenire uidemus, ut ex multis libris, qui mali ſint, bonus tamen liber efficiatur unus.*

Libro 11. *Epiſtola* 10.

MALLE *me tuum iudicium*] *Referuntur hæc ad id, quod dixit, exploratum habes. totum autem hunc locum ex codice* Pauli Boti, *&* Vincentij Riccij *emendauimus.*

Libro 11. *Epiſtola* 27.

QVID *defuit noſtræ familiaritati in maximis rebus? quonam modo me gererem aduerſus Cæſarem, uſus tuo conſilio ſum*] Diſtinguo *ſic. quid defuit noſtræ familiaritati? in max*

in maximis rebus quonam modo me gererem aduerſus Cæſarem, uſus tuo conſilio ſum.

Libro 11. *Epiſtola penultima.*

PATRIAM *amicitiæ præponendam*] Nihil *muto: & ſi alij ex antiquis codicibus legant, patriæ amicitiam præponendam: ſunt enim aliquot manuſcripti libri, & ij peruetuſti, qui cum impreſſa lectione conſentiant.*

Eadem Epiſtola.

DIGNISSIMO *Cæſare*] *Ita lego ex libro* Ioannis *Scalæ manuſcripto. ſenſus hic eſt. munus illud & eius hominis, qui mihi amiciſſimus fuit, memoriæ præſtare debui: & ei adoleſcenti, qui optimæ ſpei eſt, ac Cæſare digniſſimus, negare non potui. in quibuſdam antiquis exemplaribus legitur, Cæſari repetenti. quod noſtram lectionem magis uidetur confirmare.*

Libro 12. *Epiſtola* 1.

ITA *compreſſum eſt*] *Antea, cõpreſſa eſt, in libris omnibus impreßis. quã lectionem alij ſequi maluerunt, quàm noſtram. nos, compreſſum, ut eſt in codice* Vincentij Riccij, *rectius, quàm cõpreſſa, legi putauimus: ut referatur ad uerbũ, manabat: antitheta enim ſunt cõprimere & manare: quibus etiam uſus eſt libro ad Atticum* 11. *orationem illam ita compreſſeram, ut nunquam emanaturam putarem.*

Libro 12. *Epiſtola* 2.

AD QVEM *paratus*] *Codex antiquus* Vincentij Riccij, *ad quam apparatus. fortè, ad quam paratus: ut ſubintelligatur, cædem.*

Libro 12. *Epiſtola* 13.

NON *ſubita, nec inconuenientia*] *Ita legitur in libro manuſcripto* Bernardini Maffei, Ioãnis Scalæ, Pauli Boti. *quod ideo dicimus, nequis credat in omnibus uetuſtis codicibus legi, con*

gi, conuenientia, ut Florentini in libro ſuarum explicationum tradiderunt. Vincentij Riccij codex habet, diſconuenientia. qua uoce Horatius quoq; uſus eſt epiſtola 1. libri 1. Aeſtuat, & uitæ diſconuenit ordine toto. itaq; ſiquis, inconuenientia, non probat: diſconuenientia, poterit legere.

Eadem Epiſtola.

CVI *Lucilius præerat*] *Appianus hunc appellat Lucium Figulum, quod cùm ita ſit, & cùm Figulos non è Lucilia gente, ſed potius è Nigidia fuiſſe compererim: libentius legerim, Lucius, quàm Lucilius: nam etiam in uetuſto codice Bernardini Maffei, non, Lucilius, ſed, Lucius, legitur.*

Ibidem.

CASTRA *habet poſita* Γαλτοῖ] *È ueteri libro Pauli Boti ſic emendauimus, figura Græca in aduerbijs in loco, ut* κορύδαλλος κορυδαλλοῖ, προβάλινθος προβαλινθοῖ, φάληρον φαληροῖ, φρεάῤῥοι φρεαῤῥοῖ.

Ibidem.

ACROMANI *Iacride*] *Vetuſti codices alij aliter habent. ſunt qui legendum credant, à Crommyu Acride. alij, Acamantide. quæ mihi lectio magis probatur, ſi modo, ut ijdem dixerunt, in antiquo libro ſcriptum eſt, Acomantide. de quo promontorio Plinius, & Strabo.*

Libro 12. Epiſtola 14.

QVÀM *re uera furere eos inueni. quòd uero aliquid de his ſcripſi,*] *Totum hoc non erat in impreſſis, præterquam in uno, quem Robertus Stephanus Typographus Pariſienſis diligentiſſimus ediderat. quem ego ſecutus, omnes illas uoces addidi ſeptimum abhinc annum. eas nunc in uetuſto codice Vincentij Riccij eſſe uideo.*

Libro 12. Epiſtola 17.

IN ISTA *ſolitudine*] *Solitudine potius, quàm ſolicitu-*

dine, è

dine,ẻ tribus antiquis libris,& ẻ ſenſu legendum putaui. dixit enim, ſolitudine, pro ſummo otio: quod apertius ſequenti epiſtola. Etſi *(inquit) periniquo patiebar animo te à me digredi: tamen eo tempore me conſolabar, quòd & in ſummum otium te ĩre arbitrabar, & ab impendentibus magnis negotijs diſcedere.*

Libro 12. Epiſtola 22.

COLLEGA *noſtro*] *Vetuſti codices nonnulli habent, ueſtro: quos alij ſecuti ſunt: qui quidem non uideo qua ratione ducti id fecerint: feciſſe tamen arbitror non temerè. ſed cùm in libris itẽ manuſcriptis, collega noſtro, legatur: (habet autem unum ex antiquis exẽplaribus, in quibus ita ſcriptum ſit,* Bernardinus Maffeus) *Antonium autẽ* Ciceronis *in Auguratu collegam fuiſſe, notiſſimum ſit: priorem lectionem conſeruaui, quam eo minus arbitror immutandam, quòd & ad* Atticum *ſcribens, epiſtola penultima libri* X. *collegam ſuum appellat* Antonium: *inquit enim,* Miſit *puerum, ſe ad me uenire: hoc quidẽ melius, quàm collega noſter* Antonius, *cuius inter lictores lectica mima portatur. &* Philippica II. *ſume diem: uide, qui te inauguret: collegæ ſumus.*

Libro 12. Epiſtola 25.

QVAM *turbo deiecerat*] *Vide Dionẽ lib.* XXXVIII. *pagina* XVIII. *item libro* XLV. *pagina* CVI. & *Iulium Obſequentem in libro de prodigijs.*

Eadem Epiſtola.

QVODDAM *græcum tempus ſeruitutis*] *Suſpicor in uoce, græcum, eſſe mendum. neque tamen excogitare quicquam ipſe potui, quod pro ea reponendum uideretur.* V*baldini autem* Bandinelli, *hominis acutiſſimi, & ſcientiarum laude præſtantiſſimi, coniecturam etiam atque etiam probo: cùm enim percommodum uidetur habere ſenſum, tum à ueteri*

teri ſcriptura non admodum recedit. nam cùm in libris quibuſdam antiquis, pro græcum, ſcriptum ſit, cecum, ipſe, nihil ferè præter unam literam immutans, legendum putat, necũm, id eſt neceſſarium, cecum autem in antiquo libro Vin*centij* Riccij *ſcriptum eſt.*

Libro 13. Epiſtola 2.

SVBITVM *eſt ei remigrare Calend. Quint.*] *Calendæ (inquit) Quintiles: quo die domo tua, in quam uenerat, exeundum eſt: nimis ſubitæ ſunt, & propius adſunt, quàm ut ipſe poßit operibus, quæ inſtituit, perfectis ſuo commodo diſcedere. ſciendum autem eſt, annuas domorum locationes* Calend. Quint. *apud ueteres fieri ſolitas. itaq; epiſtola* III. *libri* II. *ad* Q. *fratrem, domus (inquit) tibi ad lucum* Piſo*nis* Liciniana *cõducta eſt: ſed, ut ſpero, paucis menſibus poſt* Cal. Quint. *in tuam commigrabis. poſt* Cal. Quint. *dixit, id eſt finito locationis tempore, demigrantibus ijs, quibus eam locaueras. Suetonius autem in* Tiberio, *Senatori (inquit) latum clauum ademit, quem cognouiſſet ſub* Cal. Iulij *demigraſſe in hortos, quo uilius poſt diem ædes in* Vrbe *conduceret. quòd igitur* Euandro, *quem ſtatuarium fuiſſe conijcimus, ſubitum erat, ideſt propter breuitatem temporis incommodum remigrare* Cal. Quint. *ad quã diem opera, quæ multa multis inſtituiſſet, abſolui non poſſe intelligebat: quæ moueri loco, & alio transferri, cum perfecta non eſſent, commodè non poterant: petit à* Memmio Tullius, *ut ei de habitatione accõmodet, ne cogatur* Cal. Quint. *ut moris erat, remigrare, quod ſine damno facere non poſſe uidebatur.*

Libro 13. Epiſtola 8.

CVIVS *ex filia*] *Antea, cuius ex familia, in omnibus impreßis legebatur. nos ſeptimum abhinc annum, filia, correximus ex oratione pro* P. Seſtio, *in qua* C. Albini *filiam*

P. Seſtio nupſiſſe traditur. hunc autem locum, aliaq́; item multa à nobis reſtituta, & iam impreſſa qui ſibi poſtea uendicarint, uideo fuiſſe. quam ego laudem illis uel ultro conceſſerim, modo ne ijdem noſtrum librum tertio quoq; uerbo reprehenderent: & quod ex illo ſumpſerunt, id ſe uidiſſe diſsimularent: quodq́; magis doleo, Germanis acceptum referre mallent. ſed quoniam ab hoc concertationis genere natura ſemper, nunc etiam ratione abhorreo: de Germanis nihil dicam: qui, ut ueterum libros ediderint multos, & optimè de ſtudioſis meriti ſint, certè patri meo nunquam in hoc genere uidebuntur comparandi: hunc autem, qui nos occaſione undecunq; arrepta perſtringere conatur: ut etiam uarias lectiones, quas olim in calcem operis reieceram, tanquam à me probatas reprehendat: etſi de nobis malè exiſtimet, amabimus tamen ut hominem diligentem, & doctum: atq; etiam, ſiquid opis antiquorum ſcriptis, quæ deprauata leguntur, attulerit, ex inſtituto noſtro gratias agemus.

Libro 13. Epiſtola 9.

RVPILIVS P. F. Men.] *Diximus ſuprà, ciues* Romæ *nos à tribu oſtendi ſolitos: quæ quidem tribus plerunq; in antiquis & lapidibus, & libris prima tantum ſyllaba ſcripta legitur: itaq; corruptos opinor hic eſſe codices, & pro* Men. *legendum* Met. *ut intelligatur* Metia *tribus. ſed eſt quod magis placeat: potius enim ita legi uellem,* P. Rupilius P. F. An. *ut* Anienſis *tribus ſignificetur: nam* Vincentij Riccij *codex habet,* P. Rupilius P. Fannius. *cuius uitij fuit hæc origo: quòd cùm ſcriptum eſſet,* P. F. An. *imperiti ueteres notas non intelligentes ſcripſerunt,* P. Fannius. *de tribubus autem multa diximus in* VIII. *Epiſtolam* VIII. *libri.*

Libro 13. Epiſtola 10.

DEINDE *ut ſe corroborauit*] *Interpretes uerbi ſignificatum*

ficatum non intelligentes, alij aliter expoſuerunt. dixit autem, corroborauit, pro, egreſſus eſt annos pubertatis, & uir eſſe cœpit, quemadmodum in oratione pro M. Cælio, Cùm is iam ſe corroborauiſſet, ac uir inter uiros eſſet. Et in eadem, *non modo hæc ætas, ſed etiam iam corroborata, id eſt, non modo adoleſcentes, ſed etiam uiri.* Et ſuprà, *eiuſdem orationis initio*: Eos, qui non, *ut Cælij accuſator, adoleſcentes eſſent, ſed uiri, robuſtiores appellauit. alibi etiam in hanc ſententiam eodem uerbo uſus eſt.*

Lib. 13. Epiſtola 12.

SED *ut hanc addam*] Alij *aliter. nos ſic emendauimus ex uetuſto codice* Bernardini Maffei.

Libro 13. Epiſtola 15.

PERVSTVM, *etiamnum*] Cùm *antea legeretur, peruſtum & inanem, nos ex uetuſtis codicibus, & è ſenſu olim emendauimus, peruſtum etiamnum. ſed quoniam* Vincentij Riccij *codex habet, peruſtum immani*: *alij autem, peruſtum inanem*: *non abſurdè etiam legi poſſet, peruſtum, inani gloria uolunt incendere. quod autem dixit, & iam, uide num legi poßit, at hi me.*

Libro 13. Epiſtola 17.

QVAM *maximus poſtea commendatione c.a.*] *etſi codices omnes ita ſcriptum habeant*: *ego tamẽ legendum crediderim, quammaximus poteſt, mea commendatione c.a. uel, quammaximus poſt mea commendatione c.a.*

Libro 13. Epiſtola 21.

IN OMNI *genere officij diligendus*] Quid, *ſi legatur, in omni genere officij diligentiß. id eſt, diligentißimus? qua ratione etiam dixit in oratione pro* M. Cælio, *uiro omnis officij diligentißimo.* & *pro* Cluentio, *in omnibus officijs retinendis diligentior eſſe nemo poteſt. ſed hæc*

eruditorum iudicio permittimus: incerta enim in re affirmare quicquam, & immutare, tum temerarium eſt, tum periculoſum.

Libro 13. Epiſtola 24.

ISQVE *ſe literis meis*] *Sic antea in omnibus impreſsis, emendaui ex codice Vincentij Riccij, uniſq; ſe literis meis: nam eum iam antè commendarat.*

Libro 13. Epiſtola 37.

PVBLICE *poßidentur*] *Legem apud Calatinos fuiſſe crediderim, quæ caueret, ne quicquam publicè, niſi publico nomine, poßideretur. Hippiæ autem bona alieno nomine, ut puta cuiuſpiam abſentis, uel pupilli, publicè poßidebantur.*

Lib. 13. Epiſtola 42.

BYLLIONES] *Impreßi libri, Belliones, habebant: manuſcripti, Bulliones. itaq; nihil dubitandum putauimus, quin eſſet uera lectio, Bylliones: u enim literam pro y ſcribebant antiqui: & ita in uetuſtis codicibus perſæpe legitur: ut Sulla pro Sylla, murrha pro myrrha, & alia huiuſmodi. Bylliones populi ſunt ſupra Epidamnum, quorum meminit Strabo lib.* VII. *dicti à Byllide, quæ eſt ciuitas in Illyrico, de qua Stephanus de urbibus.*

Libro 9. Epiſtola 50.

MVLTA *in illum mea: quodq; maximum eſt,*] *Hanc lectionem puriorem, & elegantiorem exiſtimamus, quàm quæ antea in omnibus impreßis habebatur. eam accepimus ex libro manuſcripto Vincentij Riccij.*

Libro 9. Epiſtola 52.

CICERO REGIS.] *Opinor hunc Regem aliquem fuiſſe gentis Martiæ, cuius cognomen fuit Rex: itaq; etiam Clodij ſororis uir Q. Martius Rex appellatus eſt, autore Plutarcho in Cæſaris uita. ad Attic. etiam lib. 1. Epiſt.* XII.

cum

cum dicit, Ille autem Regis hæreditatem ſpe deuorarat, cum, quem diximus, Q. Martium Regem intelligit.

Lib. 14. Epiſtola 4.

PRAETEREA *magnopere nemo cæterorum ſeruorum. ea cauſa eſt, &c.*] *Sic antea in libris impreßis. ego diſtinctione tantum locum reſtituo, ut ita legatur. præterea magnopere nemo. cæterorum ſeruorum ea cauſa eſt, ut ſi res &c. quoniam autem non ita apertus uidetur ſenſus, pluribus uerbis exponemus. Cicero ueritus amißionem ſeruorum cum tota re, manumiſit eos hac conditione, ut, ſi per legem Clodiam bonis omnibus priuandus eſſet, ij ſuo beneficio liberti eſſent, ſi modo id per Clodium licuiſſet: ſin autem lex ſeruos non adimeret, &, ut ad ueterem dominum pertinerent, concederet: ſeruirent, ut antea, præterquam pauci, quos benemeritos omnino liberatos uellet. dicit autem, cæterorum ſeruorum, intelligens ſuos: nam ex Terentiæ ſeruis neminem manumiſerat: tantum ijs, eam facturam eſſe, ut quiſq; eſſet meritus, promiſerat.*

Lib. 14. Epiſtola 6.

POLLICEM] *Antea, Pollucem: nos ſeptimum abhinc annum emendauimus, Pollicem, ex uetuſtis codicibus, & lib. XIII. ad Atticum: quo in lib. circa finem ita ſcribit. Pollex quidem, ut dixerat, ad Idus Sext. ita mihi Lanuuij pridie Iduum præſto fuit, ſed plane pollex, non index.*

Libro 14. Epiſtola 7.

ID EST *Apollini, & Aeſculapio*] *Hoc totum ſuſpicor in margine ab aliquo fuiſſe ſcriptum, qui uellet nomen eius Dei ponere, quẽ Cicero ſignificat. deinde qui librum exſcripſerunt, Ciceronis uerba falsò exiſtimantes, receperunt in contextum quod gloſſematis uice fuit. nihil tamen immutaui, quando manuſcripti libri, ut impreſſum eſt, omnes habent.*

Libro 15. Epiſtola 1.

A TARCONDIMOTO] *Sic habent uetuſti codices: à quibus non uideo cur hoc in loco diſſentiendum ſit: præſertim cùm & Dion in fine libri* XLI. *&* L. *Florus initio belli ciuilis inter Cæſarem, & Pompeium geſti, Tarcondimotum eum appellent: mendoſè enim in Floro, Tarcon dimotus, duabus uocibus impreſſum eſt, cùm in libro manuſcripto una ſit.*

Eadem Epiſtola.

CONSVETVDINEM] *Putat legendum eſſe Hieronymus Ferrarius, manſuetudinem: quòd etiam infrà libro* XV. *Epiſt.* III. *Quæ copijs (dixit) & opibus tenere uix poſſumus, ea manſuetudine, & continentia teneamus: & ad Atticum libro* V. *Epiſto.* XVIII. *ſocijs incredibilis uidetur & noſtra manſuetudo, & abſtinentia.*

Libro 15. Epiſtola 4.

PRAESENTIA, *magnitudine, & animi, & conſilij] Eſt hæc, ut opinor, huius loci uera lectio: quam ex antiquis exemplaribus accepimus: quibus in omnibus, præſentia, legitur, non, ut quidam uoluerunt, præſtanti, aut præſenti. Quamobrem autem, præſtantem, aut præſentem magnitudinem, Latinè dici poſſe crediderint, non uideo. ſed hoc argumento, etſi firmiſsimum eſt, niti tamen nolumus. una tantum ratione refellantur, quòd à libris manuſcriptis diſſentiunt. quorũ nos autoritatem in dies magis, magisq; facimus: permulta enim, quæ in ijs primo intuitu uideantur abſurda: pòſt, ubi diligentius animaduerteris, commodiſsimè dicta reperientur: ut hoc in loco, qui ſtatim, uerbum illud, præſentia, quid ſibi uellet, aut quò ſpectaret, non perceperunt, uitioſum credentes immutarunt: eſt enim ita dictum præſentia, magnitudine, & animi, et conſilij, tanquam ſi dixiſſet,*

præſenti

præſenti animo,magno conſilio: ut præſentiam animi,magnitudinem conſilij eſſe uoluerit:quemadmodum etiam alibi,præſentem animum ſæpiſsimè dixit: etſi ubiq; ferè eandem uocem imperiti deprauarunt, præſtantem, non præſentem, legentes. præſentiam quoq; animi dixit in oratione pro Milone & Cæſar belli Gallici libro v.

Eadem Epiſtola.

SACERDOS] *Quid ſacerdos hic ſignificet, Hirtij uerbis oſtendemus:ſic enim ſcribit de bello Alexandrino lib.* IIII. *Comana,uetuſtiſsimum,& ſanctiſsimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta religione colitur, ut ſacerdos eius Deæ,maieſtate, imperio,& potentia ſecundus à Rege conſenſu gentis illius habeatur: id homini nobiliſsimo Nicomedi Bithynio adiudicauit. Appianus autem in fine Mithridatici, Commagenis (inquit) Archelaum ſacerdotem præfecit, quæ dignitas habetur regia. Strabo etiam initio libri* XII. *idem tradit.*

Ibidem.

ADOLESCENS *& equitatu,& peditatu,& pecunia paratus,& toto,ijs,qui nouari aliquid uolebant*] *Sunt,quos offendat hæc lectio. ac fuit, cum ego quoq; corruptum locum exiſtimarem. nunc de mendo nihil ſuſpicor:dixit enim, & toto,id eſt,& ea re,quæ ſumma eſt: deinde expoſuit,totum illud quid ſit: ijs,qui nouari aliquid uolebant: à quibus maximè timendum erat, quòd adoleſcentem uel leuibus rationibus ad bellum poſſent impellere. adoleſcens (igitur dixit) & equitatu, & peditatu,& pecunia paratus,&,quod ſummum eſt, ijs, qui nouari aliquid uolebant. ſic etiam ad Atticum, eſt totum,quid Calend. Mart.futurum ſit,pro,eſt ſummum,eſt maximum, in eo ſunt omnia, quid Cal. Mart. futurum ſit.*

Eadem Epiſtola.

TIBARANI] *Forte, Tibareni, de quibus* Plutarchus *in* Lucullo, *&* Plinius,*ubi* Temiſcyræ *regionis gentes perſequitur: nam* Tibaranorum *mentionem nondũ inueni.*

Eadem Epiſtola.

RES, *quas Conſul in urbe geßiſſet*] *In quo ita legatur, uetuſtum habet codicem magnæ ſpei adoleſcens* Ioſephus Tramezinus.*Conſul autem, ideſt* Cicero: *commemorantur enim quæ pro* Ciceronis *dignitate & dixerat, & fecerat* Cato. *quis ſit autem is,quem clarißimum, atq; optimum uirum appellat, intelligere nondum potui.* Cæſarem *quidem, ut alij exiſtimant, non arbitror. quem* Cicero *nunquam optimum uirum uocaſſet,ad* Catonem *ſcribens* Cæſaris *inimicum, præſertim cum tota ferè epiſtola eius beneuolentiam quaſi aucupari uideatur, quo facilius ſupplicationem obtineret* Catone *comprobante.*

Eadem Epiſtola.

CVM *hæc te tertia iam epiſtola ante oppreßit,*] *Alij, ante operis ſit,durius omnino,& ſenſu,ut ego exiſtimo,non admodum probabili.quid enim? adeo longa eſt hæc epiſtola,ut opus uideri poßit? nam quòd illas dictiones, ſchedam aut literam, epiſtolarũ numero reſpondere negant: id ego illis concedo: ſed referri dico ad illam uocem, epiſtola: ut quaſi* Caßium *reprehendat, qui ſchedam,aut literam nondum dederit,cum epiſtolas iam tres acceperit. legitur autem,ut nos impreßimus, cũ in alijs libris manuſcriptis,tum in eo,quem habet* Vincentius Riccius: *qui quidem liber uetuſtißimus eſt: ut* Græcas *dictiones,quæ ſunt in uetuſtis codicibus perquam raro,maiuſculis literis ſcriptas habeat.*

Libro 15. Epiſtola 16.

QVOD *uelis ipſa currunt*] *Corruptus locus: quem ſanare*

ſanare non potuimus, ueterum exemplarium ope deſerti: prorſus enim omnia, quæcunque uidi, cum uulgata lectione conſentiunt. Vincentij Riccij *codex hoc in loco etſi deprauatus, ab alijs tamen diuerſus eſt: habet enim, quod in his incurrat.* Florentini *autem in ſuo libro emendarunt, quod uel ijs ipſa occurrunt. quam lectionem etſi laudamus ut ingenioſe excogitatam, non tamen ſequimur, neque ſatis ei confidendum credimus, cum à uetuſtis codicibus, etiam quos ipſi habuerunt, diſcrepet. nam quod* Germanos *in ſuo pro, currunt, occurrunt, impreßiſſe dicunt: id ego eos feciſſe tantummodo coniectura ductos facilè crediderim: non enim hic ſolùm, ſed in reliquis etiam* Ciceronis *ſcriptis multa eos arbitratu ſuo uideo mutaſſe.*

Libro 15. *Epiſtola* 18.

TVA *quidem in culina, mea moleſta eſt.*] *Notißimum eſt, ex* Epicureorum *familia* Caßium *fuiſſe. itaq; per iocum* Cicero *dicit eius* Philoſophiam *in culina uerſari. quod ſequitur, mea moleſta eſt, legit amicißimus meus, mea in palæſtra eſt: ut ſit ſenſus: tua tibi philoſophia uoluptatem ſuppeditat, mea mihi curas, & labores. culina enim uoluptatis eſt, & otij: palæſtra moleſtiæ, & contentionis. in codice* Vincentij Riccij *pro moleſta eſt, legitur, moleſtia eſt.*

Libro 15. *Epiſtola* 19.

ΗΔΟΝΗΝ *uerò, & ἀναλγησίαν*] Robertus Stephanus Pariſienſis, *quo ego, ſecundum patrem meum, in emendandis atq; edendis ueterum ſcriptis neminem fuiſſe, aut eſſe arbitror diligentiorem: hanc uocem, ἀναλγησίαν: ubi legebatur, διαξίαν: in ſuo libro impreſſerat. quæ uox ſenſum cum haberet meliorem, quàm uulgata illa prior: ipſe item in meo libro ſeptimum abhinc annũ eam impreßi, exiſtimans,* Robertum, *ſiquid immutaſſet, id feciſſe codicum antiquorum*

autoritate teſtimonioq; adductum. alij poſtea non inepte emendarunt, ἀταραξίαν: etſi uetuſti codices repugnent. unus tamen Vincentij Riccij *liber habet,ἀταξίαν.*

Eadem Epiſtola.

HABET *damnatos, quos pro illo nobis reſtituat*] Lege *Pompeia damnatos Cæſar reſtituerat. eos nunc latenter ſignificat,cum tamen de ijs loqui uideatur,qui ad ſectiones faciendas Syllæ mortuo eſſent ſurrogandi.*

Libro 15. Epiſtola *penultima.*

AD AMOREM *meum aliquantulum diſcedens addidiſti*] Antea *legebatur, aliquantum olim. nos cum in libris manuſcriptis & aliquantulum olim, &, aliquantum olim, legeremus: aliquantulum, emendare non dubitauimus. neq; enim,ut opinor, habere locum hic poteſt uox illa,olim: cum ex ipſa epiſtola,* Trebonium *non multò ante* Roma *profectum eſſe,colligatur. atque etiam ſenſus erit commodior,ſi, aliquantulum, quàm ſi, aliquantum olim, legas: ut oſtendatur,* Ciceronis *amorem erga* Trebonium *ſummum, & maximum iam fuiſſe,cui quamminimum addi potuerit.*

Libro 16. Epiſtola *9.*

CASSIOPEN] Antea, *Caſſoden. nos ex* Plinio, & *Strabone Caßiopen reſtituimus: etſi hunc quoq; locum alij ſibi uendicarunt tribus annis poſtquàm nos impreßimus.*

Libro 16. Epiſtola *10.*

FVERVNT *omnino. & ipſe*] Diſtinctionem *mutauimus,ut legatur, fuerunt.omnino & ipſe.*

Libro 16. Epiſtola *24.*

ACCVRRAM. *ſed s.*] *In uetuſtioribus libris ſcriptum eſt, ſed ſi.ego arbitror legendum, ſed ſi.quam ſilentij notam qui non agnouere, ſcripſerunt, ſi.deinde alius cum uideret, ſi,locum hic habere non poſſe, fecit,s.id eſt ſcilicet.ſic etiam*

in de

in de Oratore *lib.*II.*pro,ſt,ſcriptum erat,ſi.quod mendum* VII. *abhinc annum ſuſtulimus. in* Plauto *etiam, ubi legendum eſt, ſt, modo ſi, modo aſt, modo at, uulgò legitur.* Terentius *quoq; in* Phormione *hac nota uſus eſt: quem locum citat* Velius Longus *grammaticus.*

Eadem Epiſtola.

SEMAS *quid egerint*] *Alij, ſed quod egerint,*Dolabel*læ procuratores ſic ut admoneantur. ego illa uerba,* Dola*bellæ procuratores ſic ut admoneantur, à ſe ipſa regi puto,nec aliunde pendere: uerbum enim,admoneantur, ad pecuniam refertur, quam* Dolabella Ciceroni *debebat: itaque intulit,appellabis etiam* Papiam*:quod item creditorum uerbum eſt. forte igitur legendum, ſciemus,quid egerint; ut omnino à ſequentibus diſcludantur.*

Libro 16. *Epiſtola ultima.*

QVIBVS *alteri Ceſenam,*] *Locus procul dubio corruptus: neque enim adeo tum ignobilis, aut obſcura fuit* Ceſena, *ut tanquam abiecta res nominari debuerit. uetus codex* Vincentij Riccij *ſic habet,quibus geſa, uel quibus ſutianarum tabernarum fundamenta credas. deliberent eruditi,quomodo ſit legẽdum.*Liuius *quidem libro* IX. *de* Cen*ſennia meminit oppido non admodum celebri: ut fortaſſe non inepte pro,Ceſenam,Cenſenniam,hic legi poſſit.*

PAVLI MANVTII
SCHOLIA IN EPISTOLAS AD ATTICVM, AD BRVTVM, AD QVINTVM FRATREM.

Libro I. Epiſtola I.

CAETERA *ſpero prolixa eſſe, his duntaxat urbanis cõpetitoribus*] Puto ſenſum eſſe. *reliqua ſpero mihi fore facilia in Conſulatu adipiſcendo, ſi tantummodo competitores habeam, quos ſuprà dixi. & appellat urbanos per ironiam, quaſi lautos, eodem ſenſu, quo* Appium *epiſtolarum, quæ familiares dicuntur, libro* III. *Te, inquit, hominem non ſolum ſapientem, uerum etiam (ut nunc loquimur) urbanúm. prolixa autem dixit, id eſt facilia, & ampla, ut etiam alibi.*

Libro I. Epiſtola 6.

SATISDARI, *amplius abs te non peti.*] *Ita lego ex codice* Bartholomæi *Caualcantis. Itaq; etiam locutus eſt epi. fam. lib.* XIII. *Siquid ſatiſdandum erit, amplius eo nomine non peti. Et apud iuriſconſultos frequens eſt locutio.*

Ibidem.

DECEPISSE] *Alij, decidiſſe. Caualcantis liber manuſcriptus habet, decepiſſes. ſed hoc erratũ ſæpe in libris uulgatis deprehẽdimus: ut in fine dictionis addita ſit litera, quæ ſequentis dictionis prior eſt. itaq; uocẽ, decepiſſe, quæ in libris eſt à patre meo impreſſis, cõſeruaui, cum eãdẽ in uetuſtis codicibus eſſe animaduerterẽ. quod, inquit, de* Tadiano *negotio aperte, atq; ingenue, ipſum te decepiſſe, & erraſſe, confiteris: id ego* Tadio *& gratum, & iucundum eſſe intellexi.*

Libro I. Epiſtola 9.

TEVCRIS *illa*] *Nõ arbitror hic multa deeſſe, ſed potius*

tius perpauca,aut fortaſſe etiam nihil,ut,Teucris illa,principium epiſtolæ ſit: nam paulò pòſt infert, ut ad prima illa redeã:id eſt,ad id,quod primũ cœpi ſcribere: ut appareat epiſtolæ primam partem fuiſſe,in qua de Teucride ageretur.

Eadem Epiſtola.

LIBERTVM *mitto: Tito mandaui:*] *Verba ſunt non, ut alij putant, Ciceronis, ſed Antonij, qui pecuniæ, quam promiſerat, Ciceroni numerandæ tempus differret his uerbis:libertum mitto (ſubaudi, qui numeret). Tito mandaui (ut ſcilicet ipſe tibi pro me ſatisfaceret, aut quidpiam huiuſmodi). Antonij igitur, quem Teucridem appellat, σκέψεις hæ ſunt, atque ἀναβολαί: ſic enim lego ex libro Bartholomæi Caualcantis,non,ἀναβολάς.*

Libro 1. Epiſtola 10.

RELEVARIT?] *Refertur ad uocem, grauiorem:neq; ſenſum arbitror eſſe oſtendendum, cum omnibus pateat. alij tamen,releuerit:quos ſecuti non ſumus.*

Libro 1. Epiſtola 11.

VIDERO *hominem.ualde petitur.renauabo operam.*] *Forte legendum ſit,uideo hominem ualde pœnitere: nauabo operam. nam in codice Caualcantis ita ſcriptum eſt, ualde petitur ire nauabo.*

Libro 1. Epiſtola 13.

NOSTI *caluum,ex Nanneianis,illũ laudatorem meum*] *M. Craſſum,ut puto, ſignificat, tribus modis eũ deſcribens, primum à caluitio, deinde ex Nanneianis cum appellans, poſtremò cùm dicit, illum laudatorem meum, de cuius oratione erga me honorifica ad te ſcripſeram.epiſtola enim x 1. ſurrexit,inquit,Craſſus,ornatiſſimeq; de meo Conſulatu locutus eſt, ut ita diceret, ſe, quòd eſſet ſenator, quòd ciuis, quòd liber, quòd uiueret, mihi acceptum referre. quoniam*

uerò

uerò Craſſus Syllæ Dictatoris *temporibus ingentes ſibi diuitias comparauerat bonis proſcriptorum paruo pretio emendis,* Nanneij *autem ex ijs fuere, qui proſcripti ſunt, quorum bona à* Craſſo *empta eſſe ueriſimile eſt, indeq́; cum non mediocriter fuiſſe ditatum: per iocum appellat eum ex* Nanneianis, *quaſi dicat,* Nanneiorum *facultatibus ditatum.* Nanneios *autem* Sylla Dictatore *proſcriptos, & interemptos fuiſſe, cognoſcitur ex libro* Q. Ciceronis, *quem ad* M. *fratrem ſcripſit de petitione Conſulatus.*

Eadem Epiſtola.

CALVVM, *&* Plautum, *&* Spongiam] *Iudicum cognomina: quos quaſi per cōtemptum nominat: nam,* Caluus, *&* Plautus, *&* Spongia, *cognomina ſunt à partibus malè affectis, & à uitijs impoſita.*

Eadem Epiſtola.

PATRONO *tuo, qui Arpinateis aquas concupiuit: noſti enim marinas*] *Sororem Clodij patronum appellat: ea enim amatorum gratia multum poterat, & Clodium ſæpe non ſecus ac patronus defendebat. cuius etiam opera* Sex. Clodium, *in oratione pro Cælio ſcribit, abſolutum.*

QVI *Arpinateis aquas cōcupiuit: quæ me hominem Arpinatem, quem tu derides, ſibi coniugem optauit.* Plutarchus *in Cicerone.* NOSTI *enim marinas: nam ibi ſæpe ipſe ſtuprum & feciſti, & paſſus es.*

Eadem Epiſtola.

CVM REX] Q. *Martius* Rex, *cui una è ſororibus Clodij nupſerat, in teſtamento nullam Clodij mentionē fecit. Clodius autē fore ſperauerat, ut hæres ab eo relinqueretur.*

Eadem Epiſtola.

CVIVSMODI *diuiſores haberent*] *Nihil muto: nam eſt hic habere pro habitare: ut etiā apud* Plautum *in* Bacch.

quis

quis iſthic habet? & digeſtorum libro VIII.*titulo* II. *quidam Iberius,qui habet poſt horrea mea. & epiſtola* IX.*libri ſequentis,uideo iam,quò inuidia tranſeat, & ubi ſit habitura,pro habitatura : cuius uerſi ſignificatum qui non intellexerant, ibi quoq; ſcripſerunt, habitatura: itaq; etiam in libris aliquot manuſcriptis corruptè legitur.pro,*CVIVSMODI, *autem ſunt uetera exẽplaria,quæ, cuicuimodi,habent. quæ lectio non eſt improbanda:nam, cuicuimodi, pro cuiuſcuiuſmodi,ueteres dixiſſe,Priſcianus ſcribit lib.*III.*& in his etiam ad Atticum epiſtolis libro* III. *uelim,inquit,omnia quamdiligentißimè , cuicuimodi ſunt, ad me ſcribas. cuiuſmodi autem pro, qualesquales, ſiquis accipiat duriuſcula uideri poterit locutio:nam cuiuſmodi,pro quale, uſitatius eſt:ut,cuiuſmodi hoc eſt? cuiuſmodi illa fuerunt? & ſimilia. ut autem eadem uox pro qualequale accipiatur, legiſſe me non memini: in epiſtolis enim,quæ familiares dicuntur, libro* IIII. *ubi ſcriptum eſt, cuiuſmodi res eſſet, libri ſunt manuſcripti,in quibus legatur,cuiuſcuiuſmodi res eſſet. quæ uox idem quod cuicuimodi, ſignificat.*

Libro I. Epiſtola 15. In fine.

MOLESTE rogo] *Alij,modeſte.nos nihil mutamus:ut moleſte referatur ad Atticum legentẽ:quemadmodum etiam dixit Terentius : quorum opera ſuo quiſq; tempore uſus eſt ſine ſuperbia.non enim intelligit ſine ſuperbia eos fuiſſe, qui uſi ſunt, ſed eos,quorum opera quiſq; uſus eſt.*

Libro I. Epiſtola 15.

POMPEIVS *togulam illam pictam ſilentio tuetur ſuam*] *Ludit in ueſtem Pompeij triumphalem : qua,illi conceſſum eſt, ut certis diebus uteretur, autore Dione libro* XXXVII.*& Paterculo lib.*II.*ſenſus eſt:Pompeius Remp. non curat:neq; ijs aduerſatur,quibus deberet: uetere gloria*

contentus

contentus eſt: uerbum contra quenquam facere non uult: togulam illam ſuam pictam tuetur. ſuam autem appellat, quòd ea delectari uideretur.

Libro 2. Epiſtola 1.

SICVLIS *locum gladiatoribus dare*] *Siculis meis clientibus locum dare, ubi gladiatores ſpectare poſſent: tribulibus enim, & amicis locus ad ſpectacula dabatur: ut in oratione pro Murena.*

Eadem Epiſtola.

VNVM *mihi ſolum pedem dat*] Loci *ad ſedendum non plus, quàm pes eſt. hoc intellexit* Clodius. Cicero *autem uertit ad concubitus genus, &, noli, inquit, de uno pede ſororis queri: licet etiam alterum tollas: nam,* Clodium *treis ſorores ſuas ſtupraſſe, credebatur.*

Eadem Epiſtola.

QVID *uerius,*] V*erius hic poſuit pro æquius: ut in oratione pro* Murena*: negat uerum eſſe allici beneuolentiam cibo: & Cæſar de bello* Gallico *libro* IIII. *neq; uerum eſſe, qui ſuos fines tueri non potuerint, alienos occupare: &* Liuius *lib.* XL. *uerius fuiſſe, Conſules, quorum prouincia eſſet, quàm ſe, quid è* Repub. *eſſet, decernere: &* Horatius *epiſtola* VII. Metiri *ſe quenq; ſuo modulo, ac pede uerum eſt.*

Libro 2. Epiſtola 3.

ATILIO] Q*ui pro* Meſſala *abſoluendo prenſauerat: erant enim amiciſſimi: ut etiam* Atilij, *qui* Ciceroni *debebat, prædem fuiſſe* Meſſalam *appareat: ſic enim libro* V. *de* Atiliano *nomine ſcripſi ad* Philotimũ, *ne* Meſſalam *appellaret.*

Libro 2. Epiſtola 5.

QVONIAM Nepos *proficiſcitur, cuinam Auguratus deferatur*] Nam Q. Metellus *Celer Augur obierat. in eius locum* Q. Metellus Nepos *ſurrogari uoluerat. ſed cùm is*

Roma

Roma diſcederet: cui deferatur Auguratus, ſcire ſe uelle Cicero dicit. de quo Auguratu adipiſcendo etiam Vatinius laborabat: ut eſt in oratione contra ipſum.

Libro 2. Epiſtola 6.

VT *ad rē, ſcripſi ad Quæſtores urbanos de Q. fratris negotio*] Quod Q. *Ciceroni Aſiam regenti à populo R. debebatur, id ſibi ille denario, ideſt Romana pecunia, non ciſtophoro, qui numus erat Aſiaticus, curari uolebat. uide igitur, inquit Cicero, ecquæ ſpes ſit denarij, an ciſtophoro contenti eſſe cogamur.* Pompeianum *appellat, quòd in Aſia magnam pecuniam* Pompeius *in ciſtophoro habebat: è qua pecunia Quæſtores numerari Quinto uolebant. tantundem ipſi poſtea Pompeio Romæ in denario numeraturi.*

Libro 2. Epiſtola 7.

IN *hominem*] *Præpoſitionem, in, exiſtimo eſſe tollendam.*

Ibidem.

ET *latoribus, & auſpicibus legis curiatæ*] *Cæſari, & Pompeio: Cæſar enim in primo Conſulatu legem tulit de Clodio ad plebem traducendo:* Pompeius *autem, qui erat Augur, iuxta morem in auſpicio fuerat, & ſeruauerat de cœlo, antequam lex ferretur.*

Ibidem.

CVIVS *Tribunatus ad iſtorum tempora reſeruatur*] *Nunc, inquit, Clodio Tribunatum iſti dare nolunt: dabunt ſuo tempore, hoc eſt, eius opera cùm indigebunt.*

Ibidem.

MEGABOCCHVS] *Pompeius: nam in his epiſtolis à Cicerone diuerſis nominibus appellatur: Epicrates, qui teneret omnia: Sampſiceranus, quaſi Syriæ dominus: Arabarches, & Hieroſolymarius, hæc loca uictorijs adeptus: Megabocchus, magnus in Africa tyrãnus:* Bocchus *enim in Africa*

Mauritaniæ Rex fuerat:Pompeius autem Domitium & Iubam Syllanis temporibus uicerat in Africa.

Libro 2.Epiſtola 8.

LICET me Saufeium putes eſſe] Exiſtima, inquit, me eſſe tardum & negligentem, æquè ac Saufeium: cuius etiam notat inertiam initio epiſtolæ 1.libri VII. dederam, inquit, L.Saufeio literas: ſed, ut philoſophi ambulant, has tibi redditum iri putabam prius.

Ibidem.

QVONIAM putas &c.] Hoc, inquit, tempore non putas diutius mihi eſſe manendum in Formiano; ut cratere illo fruar delicato.itaq; Cal.Maijs proficiſcemur.

Libro 2.Epiſtola 9.

NON modo de Cynico conſulari, &c.] Nullam, inquit, non modo mihi, ſed ne Lucullo quidem, aut Philippo, aut Hortenſio poterit Clodius inuidiam concitare. nam Pompeius, Cæſar, & Craſſus cum omnia teneant: qui fieri poteſt, ut ulla nos in inuidia ſimus ſpoliati opibus, & illa ſenatoria potentia? itaq; quod contra nos agat, Clodius non habebit. Cynicum autem ſe uocat, quaſi Diogenem quendam, ſeuerum hominem, minime delicatum, uirtuti modo deditum: illos autem, piſcinarum Tritones, quòd nimium piſcinis delectarentur, ut quaſi Tritones in aquis uiuere uiderentur.

Ibidem.

CAECILIAM, & Didiam] Antea, Celiam: nos, Ceciliam, emẽdauimus ex oratione pro domo ſua 221.ubi legis Cecilię, & Didiæ meminit.quas leges tulerant Q.Cæcilius Metellus, & T.Didius Viuius anno ab V. C. DCLVI. ut dubitatio nulla relinquatur, quin, Cæciliam, legendum ſit: ſiquidem Metellus non Celiæ, ſed Cæciliæ familiæ cognomen eſt. quod cum ita ſit, in oratione pro Murena, ubi in

omn

omnibus impreſsis libris, Didijs, *&* Celijs, *legitur, emendo,* Didijs, *&* Cæcilijs.

Libro 2. Epiſtola 14.

AT *comparem baſilicæ?*] *At, inquit, baſilicam habere me dicam? habeo tribum* Aemiliam.*quòd enim baſilicæ uillam ſuam ſimilem eſſe dixerat: quaſi non bona eſſet comparatio, correxit, & intulit,* Aemiliam *hic ego habeo tribum, non uillam: quid enim baſilicæ comparem? in qua ſunt homines multò, quàm in* Aemilia *tribu, pauciores. neq;, tribum, modo uoluit dicere, ſed addidit,* Aemiliam, *quòd ea cæteris tribubus plenior, & amplior eſſet.*

Libro 2. Epiſtola 17.

ID AFFICITVR] *Ita legitur in codice* Caualcantis, *&, ut opinor, rectè: refertur enim ad illud, quod eſt ſubinane in nobis, hoc ſenſu: quæ ambitio in nobis eſt, ea nunc habet quo delectetur, ſiquidem* Pompeij *merita in patriam non iam, ut antea uerebar, maiora, quàm noſtra uideri poſſunt.*

Libro 2. Epiſtola 19.

MILLIES *coactus eſt dicere eadem*] *Aliter antea in omnibus impreſsis. nos hūc locū ex ueteri codice reſtituimus. quē etiā* Valerius Maximus Lib. VI. *cap. de libere dictis, & factis, ita, ut nos in noſtro libro ſcripſimus, legiſſe uidetur.*

Libro 2. Epiſtola 24.

CN. CEPIO BRVTVS] *Seruilia* Bruti *mater fuit. ea fratrem habuit* Cepionem, *de quo* Plutarchus *in* Catone Vticenſi. *adoptatum ab eo* Brutum, *&* Cepionis *cognomen accepiſſe, crediderim. cur autem hoc loco* Cneus *prænomen* Bruto *ſit,* Philippica *autem decima* Quintus, *neſcire me confiteor. nam* Cepionis Seruiliæ *fratris* Plutarchus *prænomen non ponit. à quo non dubium eſt, quin prænomen unà cum nomine, & cognomine* Brutus *acceperit.*

Ibidem.

CONSVLAREM *diſertum,uicinum Conſuli*] *Vicinus erat Cicero Cæſari Conſuli,quòd ipſe in Palatio, Cæſar autem in ſacra uia habitabat, quæ ſecundum radices Palatij à Carinis in Capitolium tendebat. Suetonius in Cæſare.*

Ibidem.

IVDICIVM *poſtulaturus*] *Forte,indicium,hoc ſenſu,ſi damnatus erit Vectius: ut abſoluatur, indicium poſtulabit, id eſt, ut alios eiuſdem facinoris conſcios indicare ſibi liceat, à iudicibus petet.*

Ibidem.

ET CATVLO] *Forte, & Bibulo: nam Catulus Metello,Afranio Coſs.perierat.*

Libro 2.Epiſtola 25.

MORATVS] *Libentius legerim, odoratus, uel, inodoratus: Varro enim in ſermone & familiaritate Pompeij,qua mente is eſſet in Ciceronem,odoratus erat: quod alioqui occultum fuiſſet.*

Eadem Epiſtola.

DE FLACCI *Prætura*] *L.Flaccus poſt Præturã Cicerone Cõſule geſtã, Aſiam Prætor rexit.inde repetundarum accuſatus eſt à D.Lælio, defenſus à Q.Hortenſio, & M.Cicerone:Cæſare, Bibulo Coſs.nunc Hortẽſij orationem ſignificat pro Flacco habitã, in qua Cicero ſe laudatũ eſſe ſcribit.*

Libro 3.Epiſtola 1.

QVONIAM DE *prouincia Macedonia lata lex eſt*] *Non quod in lege nominatim de Macedonia ſcriptum eſſet, ſed quòd ita ſcripta lex eſſet, ut Ciceroni in Macedonia eſſe liceret. facilius igitur (inquit) conſequi me potes, quoniam conceſſu legis de me latæ in Macedonia eſſe poſſum. itaque ab Epeiro tua non longè abibis.*

Libro 3.Epiſtola 2.

ANTONIVM] *Quem Cicero timebat, propterea quòd fuerat in coniuratione Catilinæ, & de ui damnatus in exilium abierat. Cicero in oratione pro Sylla, & alibi.*

Libro 3.Epiſtola 12.

CAPVT *rogationis proponi ſcribis*] *Caput rogationis erat, ne quis referret ad ſenatum de Cicerone reſtituendo. quod etiam epiſtola huius libri* XV. *ſcribit his uerbis. tute ſcripſiſti ad me, quoddam caput legis Clodium in curiæ poſte fixiſſe, ne referri, ne'ue dici liceret.*

Ibidem.

INIMICO *Conſule des.*] *Q. Metello Nepote, qui cum Cicerone inimicitias gerebat.*

Libro 3.Epiſtola 17.

APPII *quæſtio eſt*] *Alij aliter legunt: nos nihil mutamus, & ſenſum hunc arbitramur eſſe. fore audiebat Cicero, ut Q. frater poſt reditum è prouincia repetundarum ab inimicis accuſaretur. id eo magis timebat, quòd Appius P. Clodij frater, qui tunc Prætor erat, ei quæſtioni præfuturus erat.*

Libro 3.Epiſtola 22.

MILITES] *Puto, Piſonis Macedoniæ Procos. qui redibant in hiberna. ideo autem ab ijs Cicero non ſatis ſe tutum fore putabat, quod Piſonem ſibi inimicum eſſe intelligebat: quo Conſule Clodium adiuuante, patria pulſus erat.*

Libro 3.Epiſtola 25.

SI VLLA *ſpes ſaluti noſtræ ſubeſſet*] *alij, ſalutis, fortaſſe rectius: ſed, cùm in ueteri codice ſcriptum ſit, ſaluti, non ſum auſus immutare.*

Libro 4.Epiſtola 1.

QVI *caſu idem natalis erat & Brunduſinæ coloniæ, & tuæ uicinæ Salutis*] *Quo die Brunduſium ueni, is erat*

Tulliolæ natalis: eodemq́; die deducta olim colonia Brundu*ſina: itemq́; Saluti templum, iuxta quod tu habitas, dedicatum: habitabat enim Atticus in colle Quirinali, ut ſcribit Nepos in eius uita: quo in colle quia Salutis item erat templum, ideo Salutem Cicero Attici uicinam uocat.*

Ibidem.

À MVLTITVDINE *ſumma*] *Præpoſitionem, à, induximus ex libro Caualcantis: ut referantur hæ duæ uoces, multitudine ſumma, ad uerbum, celebrata eſt, non ad illud, animaduerſa.*

Ibidem.

SENATVI *gratias egimus*] *Intelligit orationem poſt reditum habitam in ſenatu.*

Ibidem.

HABVI CONCIONEM] *uidetur eſſe oratio, quæ extat poſt reditũ ad Quirites. quod ſi ita eſt, præpoſtere factum eſt ab ijs, qui eam ante orationem in ſenatu habitam collocarũt, cum pateat ex hac epiſtola poſt fuiſſe collocãdam.*

Ibidem.

VNVM PRAETOREM] *Appium.* P. Clodij *fratrem.*

Ibidem.

DVOS TRIBVNOS] *Atilium Serranum, &* Numerium *Quintium, de quibus in oratione pro Seſtio. ubi per irriſionem Quintium,* Gracchum *uocari dicit, quaſi ſtrenuum, & nobilem* Trib.

Ibidem.

DEDERVNT] *Concionem: nemo enim priuatus ad populum loqui poterat, niſi ei à magiſtratibus curulibus, aut à* Tribunis *locus daretur. in epiſtola ſequenti,* Appius, *inquit, (qui tum* Prætor *erat) concionem dedit* Clodio.

Libro 4. Epiſtola 2.

SVAM Libertatem] Libertatem ſcripſimus prima litera grandiuſcula: ut ſenſus hic ſit. hortatur populum Clodius, ut Libertatis atrium à ſe in domo Ciceronis extructum dirui ne patiatur.

Eadem Epiſtola.

CORNICINVS ad ſuam ueterem fabulam rediit] Cn. Oppium ſignificat: nam Cornicen Oppiorum cognomen fuit. ad ueterem autem fabulam ideo dicit, quòd etiam antea idem Oppius hunc ipſum generum Calendis Ianuarijs, quo die P. Lentulus Cos. retulit de reſtitutione Ciceronis, intercedentem ſuppliciter rogarat, ut deſiſteret: quod tamen à genero non impetrauit: idq; omnino cauſæ fuit, ſerius ut Cicero reſtitueretur. in oratione poſt reditum ad Quirites.

Ibidem.

ILLAM porticum] neceſſe erat, ut redemptores, ſi Catuli porticum reſtituere uellent, prius demolirentur: nam in ea porticu, quæ Ciceronis ædibus iuncta erat, itemq; in ipſius Ciceronis ædibus templum Libertatis Clodius ædificauerat. quod templum, collegio Pontificum permittente, dirutum eſt, ut & Catuli porticus, & Ciceronis domus reſtitueretur.

Ibidem.

NOSTRAE RATIONES, utilitates meæ] Has duas uoces, VTILITATES MEAE, deleuimus ut gloſſema illarum, noſtræ rationes.

Lib. 4. Epiſtola 3.

ACIDINOS] Significat Manlium, qui Romæ regnum affectaſſe creditus eſt: ex quo de Tarpeia rupe præcipitatus, cogitati maleficij pœnas luit. Manliorum autē cognomen

fuit Acidinus.

Ibidem.

ANNIANA *Milonis domo*] *Quæ prius* C.Annij *fuerat, à quo adoptatus eſt* Milo,*cum ex eius filia natus eſſet.*

Ibidem.

ADIVVANTE OPPIO] *Crederem legendum,* Appio, *qui fuit* P. Clodij *frater: nam etiam paulò pòſt,Conciones turbulentæ* Metelli, *temerariæ* Appij.

Ibidem.

FAMILIARI *tuo*] Q.Hortenſio, *niſi fallor: de quo in epiſtola ultima libri* I I. *tuus, inquit, familiaris* Hortenſius *quàm plena manu, &c.*

Ibidem.

DE CVIVS *conſtantia, uirtute uerißimæ literæ*] Ironia.*quaſi dicat, parum ad me uerè de eo ſcripſiſti.*

Ibidem.

COMITIA *ſua*] *Quibus* Aedilitatem *petiturus erat.*

Ibidem.

NISI *Milo in campum obnuntiaſſet*] *Cum codice Caualcantis ita lego, priore lectione repudiata: quæ ut mihi quidem uidetur, bonum ſenſum habet nullum: neque enim quiſquam erat, qui* Miloni *obnuntiaret: ſed* Milo *ipſe alijs obnuntiabat: comitia enim, quibus* Aedilitatem Clodius *petebat, prorſus fieri nolebat. præterea ſi legas,* C. Appius, *prænomina ſimul erunt duo, quæ eſſe non poſſunt.nam quod ad locutionem attinet, obnuntiare in campum: me quidem non offendit: nam etiam uerbo, nuntiare, quandoque ueteres eadem ratione utebantur.*

Ibidem.

DEIECTAS *copias*] *Alij, delectas.ego, deiectas, meliore ſenſu legi puto, quaſi afflictas, & infirmas.*

Ibid

Ibidem.

ITAQVE *ante diem* XI. *Cal. Ian. in comitium Milo de nocte uenit*] *Cum ſignificet diem, qui ſecutus eſt* XII. *Cal. Dec. uocem Ian. tollere ſum auſus: neque enim, ut cuiuis facile eſt uidere, locum hic habere poteſt. forte autem, cum in antiquo libro ita ſcriptum eſſet,* XI. *Calen. imperitus aliquis, & audax immutauit, & ſcripſit,* XI. *Cal. Ian.*

Ibidem.

MARCELLVS] *Qui & ipſe Aedilitatem petebat: tamen ſtertens, de comitijs parum laborare uidebatur.*

Ibidem.

SI SE *inter uiam obtulerit*] *Amiciſſimus meus, quo ego hactenus neque doctiorem, neque probiorem cognoui quenquam, hunc locum ex ingenio reſtituit: nam alij longius à uetere ſcriptura recedunt: quæ quidem hæc eſt, ſi ſentitur ueiam obtulerit. inter uiam autem dicitur, quomodo etiam inter cœnam, & huiuſmodi alia.*

Lib. 4. Epiſtola 5.

SCIO *te uoluiſſe, & me. aſt nugigeram manum fuiſſe*] *Locus corruptiſſimus, neque manuſcripti codices, quos uidimus, perfectè reſtituunt. quidam habent, at nunc geram manum fuiſſe. alij, aſt num geram manum fuiſſet. ex quo impreſſum eſt in recentioribus libris, aſt* NVM *Germanum fuiſſet? quam lectionem non conuenire cum reliqua epiſtola, nemo eſt, quin uideat. ſuprà enim tantum abeſt, ut dicat ſe unquam id uoluiſſe, ut etiam inductum, relictum, proiectum ab optimatibus, habuiſſe tamen in animo cum ijs in Rep. conſentire affirmet. deinde ſubiungit,* VIX *aliquando te autore reſipiui, quæ uerba habent emphaſim ſingula, ad oſtendendum nunquam id antea Ciceronem uoluiſſe, quod nunc ſalutis ſuæ cauſa uelle incipit. ac ſenſu fortaſſe meliore*

ita legeretur. Scio te uoluiſſe, & me adhuc perinhumanum fuiſſe. infert enim, iam tempus eſt me ipſum à me amari. porrò quid poteſt eſſe inhumanius, quàm, ut alijs ſatisfiat, nolle ſuorum commodorum ullam rationem ducere? quod profectò nihil aliud eſt, quàm ſe ipſum odiſſe. incipiamus igitur, inquit, aliquando nos ipſos amare, quod antea non fecimus. in quo nunc demum nimis inhumanum fuiſſe me ſentio. Eruditi *locum accuratè conſiderent, & uetuſtis cum exemplaribus, ſiquæ erunt nacti, diligenter conferant. nam nos ſine manuſcriptis libris affirmare nihil audemus.*

Ibidem.

VIATICVM *Craßipes præripit*] *Cicero poſt mortē* L.Piſonis *cognomento* Frugi, Tulliolam *Furio* Craßipedi, *Marcellino, &* Philippo *Coſs.collocarat. ei pro dote pecunia erat numeranda, ut Ciceroni uiaticum non relinqueretur ad obeundam legationem liberam, de qua ſuprà dixit.*

*Lib.4.*Epiſtola *6.*

NON *ut Saufeius, & ueſtri*] Epicurei*, qui dolent eius uicem, quòd humanis uoluptatibus priuatus ſit. ueſtri, autem dicit, quòd* Epicuream *ſectam* Atticus *amabat.*

*Lib.4.*Epiſtola *7.*

TERENTIVS *ſuo iure*] *poteſt conturbare, cum ſit eques* R.*quod alijs non licet. conturbare autem eſt, omißis ueteribus creditoribus, ſatisfacere ijs, qui poſterius credidiſſent. itaque dixit pro* Plancio *273: fac me multis debere, & in ijs* Plancio. *utrum igitur, me conturbare oportet? an cæteris, cum dies uenerit: hoc nomen, quod urget, nunc, cum petitur, diſſoluere?*

Ibidem.

ARPINATVM *fremitus eſt incredibilis de* Laterio] *Punctis male collocatis ſæpe fit, ut ſenſus peruertatur. quod quidem*

quidem hic uſu uenerat. nam in omnibus libris, qui typis impreßi leguntur, ita ſcriptum erat: Arpinatum fremitus eſt incredibilis. De Laterio quid quæris? ut obſcurißima, uel nulla potius fieret ſententia, fuit autem Laterium Q. Ciceronis uilla in Arpino. quam uillam Quintus cum fortaſſe uellet uendere, Arpinatum erat fremitus excitatus.

Lib. 4. Epiſtola 8.

APENAS] *Hic locus aliter antea erat interpunctus. ut nos diſtinguimus, hic eſt ſenſus. Apenas uix diſceſſerat cum literis ad te meis, quum epiſtola, ſubaudi, reddita mihi à te eſt. cui epiſtolæ reſpondens, Quid ais, inquit? &c.*

Ibidem.

QVAM eſt iſta περίστασις noſtra] *Sic antea. ego repugnantibus libris manuſcriptis: tamen emendaui, noſtræ. ſenſus enim hic eſt. ſtatus iſte Domitij ſimillimus eſt noſtro: uel quòd ab iiſdem læditur, à quibus olim ego: uel quòd præter opinionem: uel quòd uiri boni nuſquam: (ſic enim interpungo) unum tamen dißimile, inquit, eſt, quòd nos immeritò olim afflicti ſumus, Domitius nunc meritò. nam caſus ille noſter forte etiam tolerabilior, & leuior fuit, quàm hic Domitij. quid enim miſerius, quàm eum fieri Conſulē non poſſe, qui in tota uita tanquam deſignatus fuit, id eſt, quem ſuo anno fore Conſulem non ſecus homines crediderunt, ac ſi iam deſignatus eſſet. ſi uerò etiam ipſe uidet, & in ſuis priuatis faſtis notat, ex iis, qui potentibus inſeruiunt, non minus multos in poſterum fore Conſules, quàm hactenus fuerunt: quid illo miſerius? & argutè, in codicillorum faſtis paginulas habeat futurorum Conſulum, quaſi dicat, adeo multos uidet fore Conſules ante ſe, ut eos domi notans in ſuis faſtis, longas paginulas compleat: nam in faſtis publicis Conſulum nomina ſcribebantur, ut autor eſt Liuius libro IX.*

Ibid

Ibidem.

ET IN EO *γραμμὴν teneam*] *Codex manuſcriptus habet,& τὴν ἔξω γραμμὴν.unde bonus ſenſus qui poßit elici,nõ uideo,ego,una interpoſita litera, legendum crederem, & τὴν ἔξω γραμμὴν: ut ſit ſenſus, quod me mones,ut hoc ſtatu* Reip.*qui impẽdet,in quo nõ optimates, ſed potẽtes dominaturi uidentur:me ciuiliter gerã:ideſt,ut neq; potentibus prorſus aſſentiar,neq; ijs abſq; ulla proficiẽdi ſpe ſtulte repugnem:ſed quaſi lineam quandã teneam exteriorem,ſeorſumq; ab eorum rationibus curſum dirigam: ego uerò ita faciam.*

*Lib.4.*Epiſtola *9.*

QVONIAM *Ciceronem ſuauißimum ſecum haberet*] *puto legendum eſſe, tecum haberes.* Quintus *enim* Cicero *filius non cum patre, ſed cum* Attico *erat, ut patet ex epiſtola,quæ ante proximam ſuperiorem collocata eſt.*

*Lib.4.*Epiſtola *10.*

APVLEIA] *Clodium, ut opinor, ſignificat, propterea quòd in* Tribunatu *non ſecus,atq;* Apuleius Saturninus, *populum concitarat,Apuleiam autem,non* Apuleium,*per contemptum appellat,quaſi effœminatum & mollem.*

*Lib.4.*Epiſtola *12.*

CRASSVM *quidem noſtrum, &c.*] Iocatur *in* Craſſum*: qui profectus eſt in prouinciam Syriam inuito populo:* Aemilius *autem* Paulus,& Tiberius Gracchus,*iterum* Conſules, *illic ad bellum* Macedonicum, *hic ad* Hiſpanicum *populo libentißimo profecti erant. æqualem autem* Pauli, & Gracchi *eum appellat,quòd ut illi olim iterum* Conſules, *ita* Craſſus *& ipſe iterum Conſul in prouinciam profectus eſt.*

*Lib.4.*Epiſtola *13.*

PVTARE *profectum*] *Alij legunt, putari, ex ingenio, ut arbitror: nam codex* Caualcantis *habet,putare.ſubintelligitur*

ligitur autem, ſe: ut ita dicat, ſcripſit ſe putare, te profe-ctum, &c. huius generis locutiones multæ ſunt, cum uel, ſe, uel, te, uel, me, deſideratur: ſed eas recitare neceſſarium eſſe non putamus.

Lib.4. *Epiſtola* 14.

PORCILIVS] *Hoc nomen ita legitur in libris à patre meo impreſſis. neque arbitror eſſe immutandum: fuerunt enim* Romæ *familiæ complures, quæ ab alijs familijs nomina ſumebant, ut à* Seſtius Seſtilius, *à* Marcius Marcilius *à* Curtius Curtilius, *à* Ceſtius Ceſtilius, *& alia huiuſmodi: qua forma à* Porcio *item* Porcilius *denominatus. quòd ſi mutandum eſſet,* Prætilius *potius legendum crederem, quàm* Procilius: *ut à* Prætia *familia,* Prætilia *dicta ſit.*

Ibidem.

OTALVS] *Vna interpoſita litera legerem,* Ortalus, *ut* Hortenſius *ſignificetur:* Hortenſiorum *enim cognomen* Ortalus, *ſiue* Hortalus *fuit: &* Cornelius Tacitus *de quodam* Ortalo *meminit* Hortenſij *nepote.*

Ibidem.

EX QVO *eſt illa ſiccata*] *Totum hunc locum ſcripſi, ut eſt in codice* Caualcantis.

Ibidem.

IN *Andromacha maior fuit, quàm* Aſtyanacte] *Conſeruo lectionem patris mei. cuius forte hic eſt ſenſus:* Andromachæ *perſonam melius geſſit, quàm* Aſtianactis.

Ibidem.

VELINAM] *Vetuſti codices,* Veliam: *ego,* Velinam, *emendaui, quod apud ueteres ſcriptores* Velinæ *tribus, non* Veliæ *mentionem inuenio.*

Lib.4. *Epiſtola* 15.

ET PHILI, & Pæti,] *Sic in libris manuſcriptis: tamen*

emend

emendaui, & Pili, & Lælij, ex epiſtola v. libri III. ad Quintum fratrem, in qua eadem de re loquens ita ſcribit, ſermo eſt à me inſtitutus Africani, paulò ante mortem, Lælij, Phili, Manilij, Q. Tuberonis. Macrobius etiam, cum Scipione in libris de Rep. Lælium eſſe locutum, autor eſt.

Epiſtola eadem.

DE PRAELIO] *Fortè, de Porcilio: quem ſuperiore epiſtola dixit eſſe condemnatum: quam epiſtolam poſt hanc eſſe ſcriptam, nemo non uidet.*

Ibidem.

NOTVM *tibi, ut quod iam*] *Libenter ita legerem, & interpungerem, notum tibi uideo. Iam.*

Ibidem.

OPIMIVS *Veietorancius*] *Ita planè ſcriptum eſt in codice Caualcantis. ego legendũ arbitror, Vei. & Horatius: ut illa uox, Vei, ſignificet tribum, è qua erat Opimius Veientinã ſcilicet, de qua in oratione pro Plancio. nam tribus apud antiquos prioribus tantum ſyllabis quandoq; ſcribebãtur. de quo plenius in ſcholijs, quæ in familiares epiſtolas edidimus.*

Ibidem.

RESCIDIT] *Puto, in uetuſto codice ſcriptum olim fuiſſe, res ad s. id eſt, res ad Senatum: quomodo etiam paulò pòſt locutus eſt. ſed imperiti cùm antiquam notam non agnoſcerent, locum immutarunt, &, reſcidit, ſcripſerunt.*

Ibidem.

PATREM *eius*] *Partẽ eius non dubito quin legendum ſit, cum à Cicerone Scaurum defenſum fuiſſe notiſsimum ſit.*

Eadem Epiſtola.

VT *opinionem habeas rerum,*] *Nihil muto: tamen, niſi uetuſti codices contra me facerent, legerem, ut Gabinium habeas reum. ſed, ut dixi, nihil muto.*

Ibidem.

OMNINO ϖορπαπυμενα] Legerem, ϖρώρα πρύμνη: *ut accuſatorum infantiam dicat maximam ac præcipuam fuiſſe cauſam, cur Gabinius abſolueretur: prora enim & puppis Græcorum prouerbium notiſsimum eſt.*

Ibidem.

STOMACHVS *ubi habitabat*] *Quo in loco animi noſtri bilis habitare uidebatur, is locus concaluit, itaq; bilem facile digerit. ex quo fit, ut me publicæ res non ita, ut ſolebant, ſolicitum habeant.*

Lib. 4. Epiſtola 16.

GERMANAE. *puta uide*] *Etſi nihil immutaui: tamen non dubito, quin ita legendum ſit, Germanam: peti uide: ut ſit ſenſus, aduola mi* Attice, *& inuiſe ſimulem* Remp. Reip. *illi noſtræ, quam olim laudare ſolebamus: dicit enim germanam illius noſtræ* Reip. *per ironiam, quaſi prorſus diſsimilem, & plané mutatam. deinde ſequitur: uide magiſtratus peti numis ante comitia tributim uno loco diuiſis palàm: quæ uerba ſiquis diligentius expendat, ſingula emphaſim habere cognoſcet. uide item, inquit, Gabinium abſolutum: concedatur etiam, ut autoritate floreat, & gratia.*

Eadem Epiſtola.

AEDILITAS *eius*] *Quam ſumma magnificentia geſſit, adeo ut in eius impenſas opes ſuas abſumpſerit, magnumq́; æs alienum contraxerit. autor* Pedianus.

Ibidem.

APVD *ruſticos*] *In tribus* XXXV. *diſpertita erat* Vrbs: *hæ ſuffragia ferebant. ruſticæ autem erant* XXXI. *urbanæ quatuor, quæ minus poterant, quòd & numero inferiores erant, & ex libertinis conſtabant, cum ingenuorum propriæ eſſent ruſticæ: quas* Cicero *fauere dicit* Scauro *pro-*

pter

pter patris memoriam.

Lib.4.Epiſtola 17.

NON *oblitum*] *Caualcantis codex habet ut impreſſum eſt in noſtro libro. ſenſus eſt. puto te exiſtimare, me rarius ad te ſcribere, non quòd oblitus ſim conſuetudinis meæ: ſed cum &c.*

Eadem Epiſtola.

LEPIDVM *quo excidat*] *Sic libri manuſcripti, forte, nequid à quo excidat.*

Ibidem.

QVADRAGENA] *Forte melius, quadringena, ut maior ſit ſumma.*

Ibidem.

NE *Senatus quidem affuiſſet*] *Libentius legerem, fuiſſet.*

Lib.5.Epiſtola 1.

QVID, *quæſo, iſtuc erat?*] *Sic ex ingenio emendauimus, à ueteribus codicibus deſtituti.*

Lib.5.Epiſtola 2.

RVFIO *noſter*] Hic eſt C.Sempronius Rufus de quo in Fam. 116: *eum nunc* Rufionem *appellat. quoniam autem cum* Veſtorio *neſcio quid ei erat controuerſiæ:* Ciceronem *iudicem fecerant, ut de lite cognoſceret. deinde cum* Rufio *ſe à* Veſtorio *uideret obſeruari(obſeruabat autem* Veſtorius*, ut, ſi* Rufio *Ciceronem adiiſſet, ſtatim & ipſe accurreret, tranſigendæq; controuerſiæ iudicem admoneret:quod* Rufio *nolebat,ut qui ſe non bonam habere cauſam intelligeret)hominem ſtratagemate percuſsit: nam ad Ciceronem non acceſsit. hunc Cicero gratam ſibi rem feciſſe dicit, quòd de controuerſia audiri noluerit, ideſt, quòd ad ſe iudicem non acceſſerit, ut de controuerſia, quam habebat cum* Veſtorio, *tranſigeret.*

Ibid

Ibidem.

E' PANSAE *uilla*] *uetus codex habet, epenſe uilla, corrupte omnino, ſed unde facile poßit erui uera lectio: quam hãc eſſe putamus, è* Panſæ *uilla: quibus uerbis oſtendit* Cicero, *quàm alienus à tranſigenda cõtrouerſia* Rufio *fuerit, qui* Ciceronẽ, *ne cum eum quidem uidit, adire noluerit: tantum, cum eſſet in uilla* Panſæ, *nũquid uellet, eum rogauit.*

Libro 5. *Epiſtola* 4.

NOSTRIS *poßit &c.*] Totum hunc locum, *adiuti tamen aliquantũ à libris manuſcriptis, ex ingenio reſtituimus.*

Ibidem.

CONSVLE, *aut numera: nam* DC *ceperis*] Cherippus *fuit, opinor, gratioſus libertus ſenatoris, qui ne quid ad ſenatum referret, quod contra exiſtimationem aut contra uoluntatem ſuam eſſet, (puta de proroganda prouincia)* Cicero *ueretur. quoniam autem in ea re* Cherippi *opera ſibi eſſe utendum uidet, qui quidem apud patronum gratia ualebat, ut facile eum, quoquò uellet, mouere poſſet: cum indignatione, ò prouincia, inquit, etiam'ne hic mihi curandus eſt? etiam'ne diligentia eſt ponenda, ut liberti ſtudium mihi conciliem? aut (inquit) conſilium mihi da, quo pacto me geram: aut, alia uia ſi non eſt, pecuniam liberto numera: minimum in eo damni faciemus: nam capies eum* DC, *id eſt pecuniæ noſtratis aureis* XV. *qua ſumma facile adducetur, ut patrono, quod uolumus, perſuadeat. ceperis, autem ex ingenio legimus, non, ceteris, mutatione fere nulla: &* DC *pro dc. qui error alibi etiam eſt in uulgatis libris, ex antiquarum notarum ignoratione, & literarum ſimilitudine ortus.*

Ibidem.

M. ANNIVS, *&* Tullius] Pontinius, Anneius, Tullius, Q. Cicero M. Ciceronis *in prouincia legati fuere. itaq;*

opinor hic eſſe legendum, M. Anneius*, de quo in epiſt. fam. libro* XIII. Epiſt. LVI. *& lib.* XV. *epiſt.* IIII.

Libro 5. Epiſtola 5.

QVID *narrem : noui enim nihil :*] Coniectura ducti *ſic emendauimus. uetuſtus codex habet,noui enim mihi.noſtra lectio nõ dubito quin à doctis probetur, eo magis,quòd epiſtola ſequenti idem ſcribit.nec tamen, inquit,iam habeo,quid aut mandem tibi,aut narem.mãdaui omnia, quæ quidem tu, ut polliceris,exhauries : narrabo, cum aliquid habebo noui.*

Lib. 5. Epiſtola 10. *propè finem.*

ERAMVS *inuicẽ*] Coſmus Gherius,Fannẽſis *epiſcopus, doctiſſimus & ſanctiſſimus adoleſcens:quẽ niſi mors immatura nobis abſtuliſſet, uerã antiquæ uirtutis imaginem habituri fuimus: cum quartum abhinc annum* Romã *proficiſcens,eius uiſendi,ac ſalutandi cauſa* Fanum *diuertiſſem,hunc locum ut ita emendarem, admonuit. cùm ego quæſiſſem,illa caſtigatio ex ingenio eſſet,an ex libro manuſcripto:codicem uetuſtum* Patauij *ſe uidiſſe affirmauit, in quo ita,ut me iubebat emendare, ſcriptum eſſet. poſtea in antiquo exemplari* Caualcantis *animaduerti,eramus inuecim,eſſe. ex quo amiciſſimus meus adductus erat,ut,inuicem, & ipſe corrigeret.*

Libro 5. Epiſtola 11.

RELIQVOS BARONES] *Epicureos philoſophos per irriſionem* Barones *appellat.uide quæ diximus in illum locum epiſtolæ ultimæ libri* IX. *ad* Pætum,*ille* Baro.

Libro 5. Epiſtola 13.

VERVNTAMEN *de Cumanis ueniſſem cũ imperio*] *Sic habet codex* Caualcantis. *putat amiciſſimus meus legendum eſſe ueruntamen cum* Romanus *ueniſſem &c.* Græci *enim* Romanos *oderant magiſtratus, quibus faſces præferebantur, ut libertati eorum quaſi minari uiderentur. mibi*

tamen

tamen (inquit Cicero) alacres ſe obtulerunt tanquam ſi Epheſius Prætor, hoc eſt, tanquam ſi ex ipſis unus eſſem, non ut homini Romano, qui cum imperio ueniſſem.

CLAVOM *animo uerbis*] *Sic in libro manuſcripto. forte legendum, commouebis: ut ſit quod ſuperiore proxima epiſtola dixit:* παϱάγγελμα ἐναντίον *commoueto.*

Libro 5. Epiſtola 15.

PRO NAGISTRIS *ſcripturæ, & portus, & noſtrarum diœceſium*] *Sic habet codex ille Caualcantis antiquißimus. forte legendum eſt, & portus noſtrarum diœceſium: ut ſit ſenſus: dare poteris tabellarijs publicanorum, & dare item poteris ſcripturæ, & portus noſtrarum diœceſium pro magiſtris. qui autem uocem, pro magiſtris, non intellexerant, per magiſtros, ſcripſerant. in familiaribus (ſic enim appellantur) epiſtolis. Terentius (inquit) operas in ſcriptura pro magiſtro dat. ad Atticum autem de eodem Terentio, operas in portu & ſcriptura pro magiſtro dedit. item orationum uol. 1. in ſcriptura Siciliæ pro magiſtro eſt L. quidam Carpinatius.*

Libro 5. Epiſtola 16.

TAEDET *omnium nos uitæ*] *forte, omnino eos uitæ.*

Lib. 5. Epiſtola 18.

SPERAMVS *etiam manu. tuto conſedimus &c.*] *alij aliter emendant. nos codicem Caualcantis ſecuti ſumus, niſi quòd, loco, ubi legebatur locum, ex ingenio caſtigauimus. ideo autem legi non poteſt, Et in Amano tuto conſedimus, quòd paulò antè in eadem epiſtola ſcribit Cicero ſe eſſe in Cappadocia ad Cybiſtra: quod etiam epiſtola, quæ poſt ſequentem legitur, his uerbis: cum dies quinq; ad Cybiſtra Cappadociæ caſtra habuiſſem, certior ſum factus, Parthos*

ab illo aditu Cappadociæ longè abeſſe, Ciliciæ magis immi- nere: itaq; confeſtim iter in Ciliciam feci per Tauropylas: Tarſum ueni ad III. Non. Oct. *inde ad Amanum contendi.*

Libro 5. Epiſtola 19.

QVIN, *ut Pompeium expectaris,*] *hunc locum ita ſcriptum habet uetuſtiſſimus, idemq; omnium, quos ego uiderim, optimus Caualcantis codex. accipitur autem,* VT, *pro etiam ſi, hoc ſenſu: etiam ſi Pompeium Romæ expectaris dum Arimino rediret, tamen non dubito, quin profectus in Epeirum ſis. & dixit, etiam in Epeirum, pro tamen in Epeirum, ut in epiſtolis fam. ego cum meis, ſi quicquam nunc cuiuſpiam eſt, etiam in meis eſſe malui.*

Ibidem.

ROMAE *iucundam*] R*ectius fortaſſe, mirè iucundam.*

Ibidem.

IN MILITIA] *Suum in prouinciam iter militiam appellat, ut etiam in hac (inquit) peregrinatione, militiáue noſtra ſæpe incenſum ira uidi, ſæpe placatum.*

Ibidem.

SCRIBIS *libenter repulſam tuliſſe eum,*] *Diſtinguo, ſcribis libenter, repulſam tuliſſe eum. ſcripſerat enim Atticus, libenter ſe ſcribere de illius repulſa, qui cum Cicerone certaret. cui reſpondens Cicero, quòd (inquit) de illius repulſa libenter ſcribere te dicis, magni amoris ſignum.*

Libro 5. Epiſtola 20.

SYRIAM *à Cilicia aquarum diuortio diuidit*] *Vide, quæ diximus in illum locum epiſtolæ* x. *libri ad Curionem, diuiſus aquarum diuortijs. ſenſus idem erit, ſi, ut eſt in libris manuſcriptis, legatur, in aquarum diuortio.*

Eadem Epiſtola.

INTEREA *è Cappadocia ne pilum quidem*] *Hoc totum*

tum puto eſſe collocandũ poſt illa uerba, penè dixi quàm te.

Libro 5. Epiſtola 21.

STATVAS, *cana* τέθριππα *prohibeo*] *Sic habet uetus codex. ſunt qui legendũ putent, ænea* τέθριππα, *ideſt æneas quadrigas.* Ioannes Scala *exiſtimat, ſana,* τέθριππα: *nam in libris manuſcriptis* F *litera ſæpe reperitur, ubi in impreſsis eſt* E *cuius rei exẽpla poſſent afferri multa: ſed omittimus, & ne longiores in re propemodũ manifeſta uideamur, & q; ea norunt, qui in legẽdis uetuſtis codicibus ſunt exercitati.*

Eadem Epiſtola.

TORQVATO *in* Lenio *tuo?*] *Vetuſti codices, alij habent, & in* Lenio *tuo, alij, de* M. Lenio *tuo. caſtigaui ex ingenio, in* Lenio *tuo: ut ſit ſenſus:* Torquato *in* Lenio *tuo, cùm idem peteret, negaui. quod etiam libri ſequentis epiſtola* I. *ſcribit his uerbis: ſi præfecturam negotiatori datam* Brutus *queretur, quod ego* Torquato *noſtro in tuo* Lenio, Pompeio *ipſi in* Sex. Statio *negaui, &c.*

Eadem Epiſtola.

VT *& ea ſyngrapha eſſet,*] *Si coniecturis locus eſſet, ita legerem, iure alio ſyngrapha ne eſſet. epiſtola enim* II. *libri ſequentis, ita ſcribit: nunc iſta ſyngrapha habet iuris idem, quod cæteræ.*

Libro 6. Epiſtola 1. *in princip.*

AD QVINTVM *ter milia*] *Sic eſt in uetuſto codice. puto legendum eſſe, ad* V. III. Kal. Ian. *ideſt ad quintum, tertium* Calendas Ianuarias: *ut binas literas ſe accepiſſe ab* Attico *ſignificet.*

Eadem Epiſtola.

SI HVC *Paulus uenerit?*] *Si, inquit, acciderit, ut* L. Paulus *Proconſul huc mittatur: malè cum Salamijs agetur:* Brutus *enim contra eos omnia Scaptij cauſa impetrabit:*

erat enim Bruti *affinis hic* Paulus, *propterea* ꝗ *eius frater* Lepidus Tertullam, Bruti *ſororē, in matrimonium duxerat.*

Epiſtola *eadem.*

DE CN. FLAVIO *Cn. F.*] *Legebatur antea, Cn.* Flauio Annij *filio, corruptè, nam filij non à patris nomine, ſed à prænomine oſtendebãtur. itaq; uocē,* Annij, *prænomen eſſe debere ſemper credidi: mutare uerò non audebam cùm & à* Plinio *lib.* XXXIII. *cap.* I. & *à* Gellio *lib.* VI. *cap.* IX. *hunc eſſe appellatum uiderem Cn.* Flauium Annij *filium. poſtea cum* Liuij *libros percurrens ad eum locum libri* IX. *ueniſſem, in quo* Flauium *hunc ſcribam Cnei filium uocat: Cn. F. ego quoq; in* Cicerone *ſcripſi. itaq;* Plinij, Gellijq́; *locus erit caſtigandus.*

Eadem Epiſtola.

IVDICIBVS *utuntur*] *Fortè, haud utuntur: nam etiam omnes, inquit, ciuitates ſuis legibus, & iudicijs uſæ reuixerunt.*

Eadem Epiſtola.

TAMEN *ſe* αὐτονομίαν *adeptos putant.*] *Antea tum ſe: nos, tamen ſe, ex codice Caualcantis emendauimus.*

Ibidem.

ADSCRIPSERANT,] *Scribendū eſt numero multitudinis, non, ut eſt in libris omnibus impreſſis, etiam in noſtro, adſcripſerat. ſic etiam Caualcantis codex habet.*

Eadem Epiſtola.

LITERAS *accuratè ſcriptas de pantheris, ſed à ciuitatibus*] *Ita legitur in libro patris mei, & in codice Caualcantis. rectius omnino, ut exiſtimamus, legi poſſit, et de ciuitatibus, duabus tantum literis immutatis: nam in libris manuſcriptis particula, ſet, per t, ſcripta ſæpe reperitur, non per d, ut eſt in impreſſis: atq; etiam, it, quit, non id, quid: aliaq;*

aliaq; huius generis multa. ſenſus hic eſt. ſcripſerat ad Ciceronem Cælius, ut & pantheras ſibi mitteret, et M. Feridij agros, qui ciuitatibus fructus penderent, immunes eſſe uellet. ad ea Cicero ita reſpondet. in mea prouincia nihil cuiquam adimitur, niſi ſiquid debeat: nam, creditoribus ut ſatisfiat, uolo. Itaq; nõ eſt, quod petas, ut ciuitatibus adimam fructus, qui ex agris capiuntur. uolo, inquit, audiri Romæ, nullum in mea prouincia numum, niſi in æs alienum; erogari. quod ſi non audiretur, moleſtè ferrem. uult autem innuere, ſe non latere in tenebris, ſed eſſe in oculis hominum, &, quæcunq; faciat, Romam perferri: quare nihil ſibi eſſe agendum, niſi quod rectum, honeſtumq; ſit. dicit autem, nec mihi conciliare pecuniam licere, nec illi capere, hoc eſt, nec me pecuniam, quæ nõ debeatur, cuiquàm curare debere, nec illum capere. ſignificat autẽ, ut opinor, inter Feridium & Cælium conueniſſe, ut, ſi Feridius à Cælio Ciceroni cõmendatus, de immunitatẽ agrorũ impetraſſet, Cælio pecuniæ quidpiam eius rei cauſa numeraret: quod quidẽ flagitij nemini eſſe cõmittendum, minimè uerò omniũ Cælio, qui eo crimine C. Antonium Ciceronis in Conſulatu collegam accuſaſſet. itaq; dicit, monuiq; eũ, quẽ planè diligo, ut, cũ alios accuſaſſet, cautius uiueret. id autẽ, quod ſequitur, ad pantheras pertinet: nam ita ſcripſerat Cælius: Tu, ſi modo memoria tenueris, et Cibyratas accerſieris, quod uoles efficies: loquitur enim de pantheris.

Eadem Epiſtola.

LITERAS daturum prid. Cal. Ian.] locus ex epiſtola Attici: ex quo loco ſuauem recordationẽ Cicero ſe dicit habuiſſe clariſſimi iuriſiurandi, cum ſcilicet Remp. iurauit à ſe eſſe ſeruatã. in Epiſt. fam. lib. 5. Epiſt. 2. in Orat. Volum. I I.

Ibidem.

PRAETER Tuſculanum] hæc lectio eſt in codice Ca-

ualcantis,quam puto ſinceram eſſe,& incorruptam:ut dicat Cicero,Lentulum,præter Tuſculanum, omnia proſcripſiſſe.

Ibidem.

GENVARIOS] *numi genus,ita dictum, quòd Genuæ, quæ ciuitas eſt in Allobrogibus, cudebatur:ut Philippæi, à Philippis urbe Theſſaliæ.& primũ numi genus, deinde pecuniæ ſummam poſuit.*

Lib. 6. Epiſtola 2.

M. CLVVIO]*loquitur de duobus Puteolanis,de quibus alibi quoq;. itaq; aliorum lectionem non ſequor: cùm etiam in Caualcantis codice ſcriptum ſit,M.Cluuio.*

Eadem Epiſtola.

MAGISTRATVS *ui fecerant*]*caſtigaui,magiſtratus ſui fecerant.*

Lib.6. Epiſtola 3.

PROLIXIOR *per ipſum*] *fortè, per Hypſæum: ut Hypſæus Pompeij apud Ariobarzanem procurator fuerit: nam etiam A` Pompeij (inquit, de Ariobarzane loquens) procuratoribus ſexcentis premi cœptus.*

Eadem Epiſtola.

TIBI *autem &c.*] *puto hunc locum ſic eſſe reſtituendum. illi autem ualde ſolet in ore eſſe, grauitatem non contemnere, ſed Reges odiſſe ſuperbos.uox autem illa grauitatem,uerſus in fine fuit: quam ſequitur uerſus alter, Non contemnere, ſed Reges odiſſe ſuperbos. ſenſum fuiſſe puto, non debere nos grauitatem contemnere, ſed Reges odiſſe ſuperbos. libro etiam ſecundo mirandum, inquit,in modum Reges odiſſe ſuperbos. Brutum hic Cicero leuiter accuſat, qui cum illud in ore ſolitus eſſet habere,Reges odiſſe ſuperbos,ipſe tamen arroganter,& ſuperbè ſcriberet.*

Libro 7. Epiſtola 1.

DE CAELIO *Trib.pl.*]*opinor eſſe legendum,de decem*

cem Tribb.pl.ut illud tempus ſignificet,cùm de ratione Cæſaris habenda latum eſt ab decem Tribunis pl.nam etiam cur,inquit,tantopere pugnatum eſt, ut de eius abſentis ratione habenda decem Tribuni pleb.ferrent? & contendit,ut decem tribuni pleb.ferrent,ut abſentis ratio haberetur.& Cæſar de bello ciuili libro 1. latum ab decem Tribunis pl. contradicentibus inimicis.

Libro 7. Epiſtola 2.

LITERAE manum non amabam] forte legendum eſt, literam autem non amabam:ut litera ſcriptum ipſum ſignificetur:quemadmodum etiã in epiſt. fam. nullam partem literis, ideſt ex ipſo ſcripto, percipi poſſe.mendi,ut opinor, origo illa fuit, quòd imperiti ſcripſerant,ad ſimilitudinem tuæ literæ.deinde reliquum illud, autem non amabam,cum per ſe conſiſtere non poſſet, mutarunt,ut legerent,manum non amabam. certe in duabus uocibus:literæ manum,error ineſt : nam illud,accedebat ad ſimilitudinem tuæ,ipſum per ſe recte habet,neq; iungi debet cum ſequentibus.interpungo autem poſt uocem,tuæ : ut ſubaudiatur,manus.

Eadem Epiſtola.

PRVDENTIVS, quàm Lucius noſter] nihil muto: refertur enim ad id, quod paulò pòſt ſequitur, non intelligunt ſe &c. in quo parum prudentes uideri poſſunt, cùm Carneades in ſua ratione non poſſit.

Ibidem.

LVCIVS noſter] L. Saufeius,Ciceroni & Attico amicitia coniunctus,qui cum Patrone Epicuri ſectã ſequebatur.

Libro 7. Epiſtola 3.

DE Serperaſtris] forte,Cerberaſtris, ut, Cerberaſtris, dictum ſit,quaſi famelicis hominibus, & ad pecuniam,tanquam Cerbero ad offam, latrantibus. & puto uerbum eſſe

ex Attici Epiſtola.

Eadem Epiſtola.

AVCTIONEM] *cùm in libro manuſcripto legeretur, actionem: putaui una interpoſita litera eſſe legendum, auctionem, ideſt uenditionem: cùm enim (inquit) omnia, quæ ad portam Flumentanam ſunt, Cælius emerit, neſcio, cur ego item omnia, quæ Puteolis ſunt, non emam.*

Ibidem.

QVID *eſt, quod cuncti Luceijs ſint addicti?*] *uetus codex habet, Euuci Lucceijs ſint addicti. ego crederem legendum, quid eſt, quod ei nunc Luccij ſint addicti? ut ſit ſenſus: cum Luccij antea Cælium peßimè oderint: quid cauſæ eſt, cur eum nunc, ut ſcribis, tam ualde ament? Luceios autē Cælio propterea fuiſſe inimicos exiſtimo, quòd C. Hirrum competitorē ſuum, qui Luceiæ gentis fuit, Aedilitate deiecerat.*

Lib. 7. Epiſtola 5.

PONTINVM *ſumam*] *dictionem, ſumam, puto ex ingenio additā ab aliquo, qui, Pontinū, nomen hominis eſſe duxit, cū hîc loci ſit: itaq; credere legendū, De Formiano Tarracinam prid. Cal. Ian. inde Pontinū: inde Albanū Pompeij.*

Libro 7. Epiſtola 8.

SENTENTIA *ira relinquendæ urbis*] *ſuſpicor in uoce, ira, mendum eſſe, eo magis, quòd in codice Caualcantis non, ira, ſed Υ, ſcriptum eſt.*

Libro 7. Epiſtola 17.

AVDITVS *in conſilio*] *in libro manuſcripto legitur, auditus auditus in conſilio. puto legendū, haud ita eſt auditus in conſilio: infert enim rationē reddens cur auditus non ſit: Cato enim ipſe iam ſeruire, quàm pugnare, mauult.*

Libro 7. Epiſtola 15.

DE *mandatis Cæſaris, aduentuq; Labieni, & reſponſis*

Conſu

Conſulum ad Pompeium, ſcripſi ad te] Arbitror ita eſſe legendum, De mandatis Cæſaris, aduẽtuq; Labieni, & reſponſis Conſulum, ac Pompeij, ſcripſi ad te.

Libro 8. Epiſtola 3.

LEGIONEM *à Fauſto conſcriptam, in Siciliam ſibi placere à Conſule duci*] antè, à Coſs. ideſt, à Conſulibus. emendaui, à Conſule, ex epiſtola ipſa, quàm Pompeius Conſulibus miſit: *ſic enim in ea ſcribit* Duellio *mandaueram, quòd maiores copias ſperabam nos habituros, ut, ſi uobis uideretur, alteruter ueſtrum ad me ueniret, alter in Siciliam cum ea copia, quam Capuæ, & circum Capuam comparaſtis, & cum ijs militibus, quos Fauſtus legit, proficiſceretur.*

Libro 8. Epiſtola 6.

SVA *ſponte*] *locutio uidetur durior. tamen hoc in loco uetuſtos codices ſequi uoluimus: in quibus, ſua ſponte, non mea ſponte legitur.*

Lib. 8. Epiſtola 8.

Πρὸς ταῦθ' ὅτι χρὴ] *legendum eſt*, Πρὸς ταῦτα κλέων, καὶ παλαμάσθω, ϗ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω. *Ariſtophanis enim locus eſt, ex comœdia, quæ inſcribitur,* Ἀραχνεῖς.

Libro 8. Epiſtola 9.

VOS *duo tales*] *tu, & Sex. Peduceus, qui Cæſari Romam uenienti ad quintum miliarium obuiam proceſſiſtis.*

Eadem Epiſtola.

TVLLO] *in libris manuſcriptis &, Tullio, &, ullo, legitur. nos non dubitauimus, quin, Tullo, legendum eſſet, cùm hic Cicero ſignificet L. Volcatium Tullum, qui Conſul fuit cum M. Aemilio Lepido. qui quidẽ Volcatius cognominari Tullius non poteſt: nam duæ familiæ ſimul eſſent, quæ eſſe non poſſunt, niſi per adoptionem: ſed tum uetus nomen mutatur, ut in, anus, deſinat. de qua ratione alibi diximus. de*

Volcatio autē, & Lepido, qui cum Pompeio ex Italia exire nolebant, Epiſtola huius libri prima, Nec me, inquit, M. Lepidi, L. Volcatij comitum pœniteret. & ſi (inquit Atticus) M. Lepidus, & L. Volcatius remanent, manendum puto. & alibi quoq;. ſed non erimus in re manifeſta longiores.

Ibidem.

CVI *perſuaderi poſſe non arbitror: niſi erit cōuentus*] *forte, cui perſuaderi poſſe arbitror: niſi non erit conuentus: putabat enim Cicero ante Lentulum eſſe cū Pompeio tranſmiſſurum, quàm à Balbo conueniri poſſet. quod apertius ſcribit: cùm habeo (inquit) rationem dierum, antè puto Lentulum tranſmiſſurum, quàm potuerit à Balbo conueniri. & Romæ ſcripſit Balbus, putare iam Lentulum Cos. tranſmiſiſſe, nec eum à minore Balbo conuentum.*

Libro 8. Epiſtola 11.

NON *mihi ſatis idonei ſunt autores, qui à te probătur.*] *autores in Italia remanendi: intelligit enim Attici literas* VIII. *Cal. Martij datas, quibus ille ita ſcripſerat: ſi M. Lepidus, & L. Volcatius remanent, manendum puto. ad quam partem Cicero reſpondens, Non mihi ſunt, inquit, &c.*

Eadem Epiſtola prope finem.

QVAM *is Coreni habuerit*] *Corfinij, pro Coreni, uidetur legendum: Corfinij enim magnam pecuniam habuerat Domitius: quam tamen Cæſar ei ſe reddidiſſe, lib. 1. de bello ciuili ſcribit his uerbis* HS. LX. *quod aurum adduxerat Domitius, atq; in publicum depoſuerat, allatum ad ſe ab Duumuiris Corfinienſibus, Domitio reddidit.*

Libro 9. Epiſtola 6.

NON *profectus*] *forte, non profectos: ut ſit ſenſus. quod ſcribis, bonos uiros probare quæ fecerim, quanquam ſciant qui ad Pompeium profecti non ſint, quorum in numero ego ſum,*

ſum : ualde gaudeo.

Libro 9. Epiſtola 8.

MAGIVM Pompeij præfectum deprehendi ſcilicet, & meo inſtituto uſus ſum] diſtinctione mutata, & particula, &, inducta, locum ita reſtitui: Magium Pompeij præfectum deprehendi: ſcilicet meo inſtituto uſus ſum.

Libro 9. Epiſtola 11.

QVI eam maximè ſaluam uolebant] etſi in noſtro libro ſic impreſſum eſt: tamen lectionem patris mei magis approbo, quæ hæc eſt, eum maximè ſaluum: quaſi dicat, ueniet, ut eos maxime perdat, qui eum maxime ſaluum uolebant.

Libro 9. Epiſtola 12.

NIHIL interim ad me ſcire, nihil niſi fugam cogitare] interpuncta malè collocata. ego ſic diſtinguo: nihil interim ad me: ſcire nihil, niſi fugam cogitare.

Libro 9. Epiſtola penultima.

EROS Celeri] ſic habet uetus codex. puto legendum, Eros Celeris, id eſt libertus: Celeris autem, Metelli.

Lib. 10. Epiſtola 4. prope finem.

STOMA CHOSIVS] uetus codex, ſtomacho ſi uis. coniectura ducti, ſtomachoſe ſi uis, alij corrigunt. ego, ſtomachoſius, ueram lectionem exiſtimaui.

Libro 10. Epiſtola 13.

REGINVS erat totus noſter. huic nihil ſuſpicabamur cum hoc mare negotij fore] Huius maris (inquit) curam apud Reginum fore nullam credimus. itaq; non uideo, in Siciliam quomodo poſſim tuto nauigare.

Eadem Epiſtola.

NON committendum, ut etiam cum pacto prohibiti uideamur] Coniectura ſum adductus, ut emendarem, compacto prohibiti. ſenſus enim hic eſt: occultè hinc uolo diſcedere, ne

re, ne meam profectionē Cæſariani reſciſcant: nā id ſi accideret, ſuſpicari Pōpeius poſſet accidiſſe me uolente, qui palàm profectus eſſem, ut impedirer. nō cōmittendum igitur eſt, ut uidear cōpacto prohibitus. cōpacto, dixit, id eſt conſulto, & dedita opera. qua uoce Plautus ſæpe in hunc ſenſum uſus eſt.

Libro 11. Epiſtola 10.

MVLTA *etiam Patris*] *Dictionem, Patris, prima litera ſcripſimus grandiuſcula, ut Achaiæ ciuitas ſignificetur, in qua Q. Cicero pater in Marcum fratrem cum filio multa dixerat. de quo etiam his uerbis. Quintus auerſiſsimo à me animo Patris fuit. eodem Corcyra filius uenit.*

Lib. 12. Epiſtola ultima.

DE CAESARE *uicino &c.*] *In monte Quirinali & Quirini templum erat, & Salutis ædes, Salutis augurium dicta. cùm autem in Quirini, ſtatuam ſibi poni Cæſar uoluiſſet: facetè ominatur Cicero, & ait, eum σύνναον Quirini malo, quàm Salutis: id eſt, Salutis in templo Cæſarem eſſe nolo, ut ſcilicet ſeruari ne poſsit: in Quirini uolo, ut ob tyrannidem, quemadmodum ille, crudeliter à ſuis ciuibus occidatur.* VICINO, *autem intelligit Attici, qui domum habebat in colle Quirinali, ab auunculo hæreditate relictam, ut in ipſius uita Nepos tradit.*

Libro 13. Pagina 386.

SI *Canium haberes*] *Canius hic qui ſit, ignoramus. nec alibi mentionem eius inuenimus. forte legi poſſet, Canium, ut ſit Q. Gellius Canius Attici amiciſsimus, de quo in eius uita Cornelius Nepos.*

Lib. 14. Epiſt. 11. in principio.

ITERADVM *eadē iſta mihi*] *Vulgata lectio erat, Iterandum eadē iſta mihi. ego locum ex ingenio emendaui. ornatior enim, et uſitatior locutio, Iteradū eadē, quàm, Iterandum*

dum eadē. præterea uidetur eſſe hemiſtichiū ex ueteri poë-ta,cuius totū uerſum recitat Cicero Academicorū quæſtio-nūm I I.Age(inquit)adſta,mane,audi,iteradū eadē iſta mihi. itaq; etiā Tuſculanarum I I.legerem potius,iteradum,quàm iterandum:quod tamen alij animaduerterunt.

Libro 16. Epiſtola 3.

SCRIBIS te magis delectari Ὦ TITE, SI QVID EGO]Totū hoc.Ὦ TITE, SI QVID EGO,ſcripſi literis grandiuſculis, ut intelligatur initiū libri de ſenectute, cuius libri lectiōe ſe delectari Atticus ſcripſerat.dicit enim, te delectari Ὦ TITE SI QVID EGO,pro,te delectari libro,quē de ſenectute ſcripſimus,cuius eſt initiū, Ὦ TITE, SI QVID EGO.ſic etiā locutus eſt,Ὦ TITE,tibi prodeſſe lætor:id eſt,lætor,quòd ea,quæ in libro de ſenectute ſcripſimus,tibi ad ferendam ſenectutem proſint.non enim alium eius loci ſenſum puto eſſe: quanquam ſint, qui aliter exiſtiment.

Eadem Epiſtola.

TESTIS utemur]Vetuſti codices ita planè habent.ſed alij mendoſum locum arbitrati,legendum putarunt,tectis:ut de tectis nauibus intelligatur.ego antiqui exemplaris lectionem conſeruo,eamq; opinor eſſe ueram,& incorruptam:teſta enim nauiculæ genus eſt,ut lembus, cymba,phaſelus:forte à teſtæ ſimilitudine ſic appellata. eius meminit Iuuenalis ſatyra X V.Et breuibus pictæ remis incumbere teſtæ.

Libro 16. Epiſtola 5.

LEGIONEM ſub ſignis ducere] In omnibus impreſſis, legionem ſuis ſignis ducere. nos ex obſeruatione latinarum locutionum, quarum genera in uſum noſtrum notare conſueuimus,& hic,& alibi mendum deprehendimus: legiones enim ſub ſignis ducere, & ſub ſignis habere, ueteres dicebant. Lucretius lib. V. At non multa uirum ſub ſignis millia ducta

ducta Vna *dies dabat exitio*. *Cicero in epiſto. famil. legiones habeo quinque ſub ſignis*. Et *legiones ſub ſignis armata, tres*. *&* Liuius *lib*. I I I. *ſub ſignis* Vrbem *intrauere*. *&* lib. V I I I. *ſub ſignis alij* XV. *ordines locabantur*.

Lib.16. Epiſt.6. *prope finem*.

MEQVE Torquati *negotiolo ſiturum puto*] *Ita ſcriptum eſt in Caualcantis codice*. *locus reſtitui poterit una litera immutata, nempe ſi legas, negotiola. ſunt qui malint, actuariolo iturum, uel, actuariolis iturum. quam lectionem tum probabimus, cùm in ueteri codice uiderimus*.

Lib.16. Epiſt.8. *prope finem*.

QVINTVS *tui patris nepos ſcribit ad patris mei nepotem*] Hoc *dicit*. Q*uintus ſororis tuæ filius ſcribit ad filium meum*. *& circuitione, ut interdum ſolet, eos ſignificat. hunc autẽ locum ex ingenio caſtigauit amiciſſimus meus, qui cùm mihi in emendandis ueterũ ſcriptis tanto ſit adiumẽto, quanto alius nemo: tamẽ, qua eſt modeſtia, nominari ſe nõ patitur: ut mihi ipſe quodãmodo uidear ingratus eſſe: quanquam beneficium qui memoria retinet, ingratus eſſe non poteſt*.

Lib. *Epiſt. ad* Brutum, *Epiſtola* 4.

CVIVS *tantam autoritatem ſenatus, ac populus* R. *non ſolum eſſe patitur, ſed etiam cupit, quanta maxima in libera ciuitate eſſe poteſt*.] Legebatur *antea, quanta maxime. nos, maxima, caſtigauimus: eſt enim uſitatiſſima locutio, qua idem* Brutus *uſus eſt. at (inquit) dolore, quãtũ animo maximũ capere poſſum*. *&* Cicero *de* Oratore I. *eloquentia tanta fuit, quantã illa tẽpora, atq; illa ætas in hac ciuitate ferre maximã potuit*. *&* Celſus *elegantiſſimus ſcriptor: ut tumor, quantus maximus eſſe poteſt, ſe oſtẽdat*. *&* Liuius, *& alij: quorum loca recitarem, ſi neceſſarium eſſe crederem: Cicerone enim, &* Celſo *qui grauiores* Latinitatis *autores deſideret, neminem*

nem

[illegible]m opinor eſſe. Eodem *lib.Epiſt.7.*

IN PANSAE *locum petere conſtituit]* *Antiqua locu[illegible]quam nemo hactenus agnouit: itaq; in omnibus impreßis legebatur,*Is *Panſæ locum petere conſtituit: durior enim loquendi modus uidebatur,* In *Panſæ locum petere: quem nos in libris rhetoricorum ad* Herẽnium *inuenimus. lex(inquit) iubet* Augurẽ*,in demortui locum qui petat, in concione nominare. Augur quidam damnatus de pecunijs repetundis, in demortui locum qui petat,nominauit.*

Epiſtola 8. *eiuſdem libri.*

OCTAVVM *principem]* *Ordinẽ in legione,ut primum principem, ſecundum principem, &c.* Liuius *lib.*XXVI. M.*Atilius legatus primi principis ex eadem legione.*

Epiſtola 16. *eiuſdem libri.*

VINDICI *quidem alienæ dominationis, non uicario, ecquis ſupplicat,ut optime meritis de* Repub.*liceat eſſe ſaluis?]* *Senſus eſt.ſi,ut ſcribis,* Octauius *uindex eſt alienæ dominationis,qui* Antonium *à ceruicibus* Reip. *depulerit:non eſt ei ſupplicandũ,ut eos,qui item de* Rep.*bene meriti ſunt, uelit eſſe ſaluos. quod tu cũ facis, eum eſſe non uindicem, & extinctorem tyrannidis,ſed uicarium planè confiteris:uindici enim alienæ dominationis,non uicario,ecquis ſupplicat,ut optime meritis de* Rep.*liceat eſſe ſaluis?hic autem locus antea in omnibus impreßis corruptè legebatur.*

Lib. 1. Epiſtol.*ad* Q. *fratrem,*Epiſtola 1.

LENITAS *in diſcernendo]* *Alij,decernendo. ego nihil muto:eſt enim hic diſcernere idẽ quod cognoſcere, & diiudicare,ut unicuiq;,quod ſuum eſt,tribuatur. quo uerbo* Cæſar *eodem ſenſu uſus lib.*VI.*ſi de finibus(inquit)controuerſia eſt,diſcernunt.* Eadem Epiſtola.

GRAECIS *id, quòd acerbißimũ eſt,*ꝙ *ſunt uectigales, non*

non ita acerbũ uideri debet, propterea q́ ſine imperio populi R. *ſuis inſtitutis per ſe ipſi ita fuerũt. nomen autẽ publicani aſpernari non poſſunt, qui pẽdere &c.*] *Senſus, ut opinor, hic eſt. Aſia, cũ populi* R. *prouincia nõdum eſſet, Antiochi uectigalis erat. itaq; quòd uectigal (inquit) nobis pendat, queri non debet, cum Antiocho antea pependerit. ac ne de publicanis quidem noſtris, cum antea uectigal, quod ei Sylla æqualiter deſcripſerat, pendere ſine ſuo publicano non potuerit, quare cũ omnino aliquẽ eſſe publicanũ, uel Romanũ, uel Aſiaticũ neceſſe ſit: cũ Aſiaticũ experta ſit nõ nimis lenem: nõ eſt, quod de Romano, quaſi acerbiore, queratur, qui datus ei ſit, poſtquã ſuo repudiato noſtrum flagitauit.*

Eadem epiſtola, prope finem.

TANQVAM *tertius actus*] Non q́ *in comœdijs actus tantũmodo tres ſint, ſed q́ tertius annus adminiſtrãdæ prouinciæ quaſi tertius actus Quinto ſit: itaq; nõ minus ei laborandũ eſſe in ultimo illo anno, quàm ultimo in actu laborare boni poëtæ ſolent. cõparat aũt prouinciã theatro, cui tertiũ illum annũ quaſi tertiũ actũ eſſe uult, ut Quintus frater, tanquàm actor egregius, laudẽ in extremo quammaximã ferat. alij legunt, tanquàm extremus actus. quæ mihi lectio minus probatur, quàm quæ in noſtro libro, & in alijs quoq; eſt: uitam enim Quinti in prouincia, ſimiliter atq; actores in ſcena, ſpectari dicit: & tres illos annos quibus eã rexerit, quaſi tres actus eſſe: quorum tertium, non ſecus atq; actum, perfectiſſimum, & ornatiſſimum eſſe debere.*

Lib. I. Epiſt. ad Q. *fratrem, Epiſtola* 2.

ALTERA *eſt de* Blandenio Zeuxide] Emendaui, *Blaudeno: etſi in noſtro libro neſcio quo modo impreſſum eſt,* Blaudenio. *βλαῦδος, inquit* Stephanus, *ciuitas eſt in* Phrygia, *unde* Blaudenus.

Lib. 2.